



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

Tractatus II. De Sacramento Confirmationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

TRACTATUS SECUNDUS DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

RESOL. I.

An balsamum requiratur in Confirmatione de necessitate Sacramenti?
Et an sit de necessitate Sacramenti Confirmationis, ut Christina sit per Episcopum consecratum?
Et an Summus Pontifex possit simpliciter Sacerdoti talem consecrationem committere?
Et an simplex Sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare? Ex part. 3. tr. 4. Ref. 2.3.

cramenti materiam esse Christina confectum ex oleo, & balsamo. Ergo si alterutrum desit, deerit materia. Nec obstat, quod materia Calicis etiam sit vinum aqua mixtum, quia Concil. non ita loquitur, sed dicit materiam esse vinum, cui aqua modicissima debet adhiberi, unde patet manifesta differentia.

3. Sed quia prima opinio est probabilis (ut dictum est) ideo optime asserit Ioan. de la Cruz in directi. conscient. p. 12. de sacram. Confirm. quast. 72. dub. 2. concl. 1. quod si hoc Sacramentum ministratur cum oleo simplici, non est iterandum absolute, sed sub conditione, adhibita materia indubitata.

4. Notandum est hic, quod est etiam de necessitate Sacramenti; ut Christina sit per Episcopum consecratum sic DD. citati jam vero Summus Pontifex possit simpliciter Sacerdoti talem consecrationem committere: affirmat Valentia tom. 4. disp. 5. q. 1. punct. 2. & alij, sed negant Coninch de Sacram. disp. 72. art. 3. dub. 1. concl. 4. & Doctores ubi supra, quibus adde Barbofam de potest. Episc. part. 2. allegat. 30. n. 6. & alios penes ipsum, & an simplex Sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare, negant aliqui, & aliqui affirmant, quos videre potes apud Fernandez in exam. Theol. mor. p. 3. cap. 2. §. 3. n. 3. sed quia ad proximam parum deservimus, ad alia magis practicabilia deveniamus.

Sup. hoc primo & secundo in hoc §. 12. tom. 2. tr. 4. ex Ref. 24. ex doctrina §. ult. & signanter in fine & latet in tom. 3. tr. 1. Ref. 15. à lin. 4. & Ref. 20. & pro ultimo contento in hoc §. ibidem in Ref. 11. & in alius casu annotationu, pro qua libet ita-tum quationum.

RESOL. II.

Quanta balsami quantitas sufficiat pro materia Sacramenti Confirmationis, ut admisceatur oleo?
Et an si forte subsident balsano ex oleo supernatante conferatur Sacramentum, valide, & licite conferatur?
Et quid est contra?
Et notatur, quod si Sacramentum Confirmationis collatum fuerit tantum cum oleo sine balsamo, esset tamen reiterandum non tamen absolute, sed sub conditione.
Et an balsamum non sit de necessitate Sacramenti, sed precepti?
Et docetur non peccare Episcopum, qui in Confirmatione ungeret alio digito, quam dextero pollice. Ex part. 10. tract. 11. & Misc. 1. Ref. 13.

§. 1. **C**asus est nimis practicabilis; & ad illum sic respondet Coninch de Sacram. quast. 74. art. 3. dub. 1. n. 39. Nota, ad essentiam Christinat, sive materia Confirmationis, non esse necessarium, ut singulae ejus partes contineant formaliter aliquid Balsami: sed sufficit quod toti misto saltem tantum insit balsami, ut omnes ejus partes aliquo modo alterentur; recipiendo in se ejus odorem, aliisque qualitates: hoc enim sufficit, ut tota massa, & consequenter singulae ejus partes dicantur

huc in §. 1. **N**EGATIVAM sententiam docent Zanar. in directi. Theol. p. 1. de sacram. Confirmat. cap. 2. Philarchus de officio Sacerdot. tom. 1. p. 2. lib. 1. cap. 11. Estius in 4. sent. dist. 7. §. 8. Valentia tom. 3. disp. 5. q. 1. punct. 2. Angles in floribus in 4. sent. de Confirm. art. 2. concl. 2. Victoria in sum. n. 40. Vivaldus in candelabro cap. de mater. confirmatio. n. 2. Fernandez in exam. Theol. mor. part. 3. cap. 3. §. 2. Petrus de Reyna in summa Sacram. de Confirmat. n. 3. Carrillo in iuner. ord. sect. 3. c. 3. n. 6. Barbofa in collect. tom. 1. lib. 1. tit. 16. c. 1. n. 2. Caiet. in 3. part. q. 72. art. 2. Sotus in 4. dist. part. 1. art. 2. Rubeus de Sacram. in 4. sent. distinct. 7. §. 2. balsamum 7. P. Ledesma in sum. tit. de Confirmat. dub. 3. Navarrus cap. 22. n. 8. Covarruvias lib. 1. variar. cap. 10. num. 4. & alij. Et ratio est, quia Innocent. III. cap. pastoralis, de Sacram. non iterandum, rogatus si Sacramentum Confirmationis in eo deberet iterari, qui per errorem non fuerat Christinat, sed oleo delinitus, respondit, non esse aliud iterandum; sed cautè supplendum quod incautè fuerat praetermissum, ubi supponit illud quod omisium fuerat, non esse essentiali, alioquin Sacramentum fuisset nullum, ideoque denuo conferendum. Confirmatur, quia iisdem verbis respondet ad alteram quaestionem, an permitti deberet ministrare, qui sine impositione manuum fuerat ad ordinem Subdiaconatus assumptus, sed in Subdiaconatu defectus ille solum erat accidentalis; ergo, & alter in Confirmatione. Et hanc sententiam probabilem esse putat Filliucius tom. 1. tract. 3. cap. 1. n. 11. & alij.
 2. Sed alij contrariam sententiam, nempe Christina ex oleo, & balsamo compositum, esse materiam, & de essentia Confirmationis docent, ut Fernandez de Heredia in disputationib. mixtis, de Sacram. Confirmat. dist. 5. p. 3. dub. 1. concl. 1. Coninch de Sacram. q. 72. art. 3. dub. 1. n. 30. Sylvius in 3. p. q. 72. art. 1. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. dist. 7. q. 1. art. 3. Nugens in 3. part. tom. 1. q. 72. art. 3. Emanuel de la Cerda in qq. pro laurea Salmantina q. 9. scholastica, art. 3. n. 6. Zambranus de casibus temp. mor. c. 2. n. 2. Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 1. & Villalobos in summa tom. 1. tr. 6. difficult. 2. n. 2. Ledesma in sum. tom. 1. de confirm. c. 2. concl. 7. Et ratio est, quia Concil. Florent. affirmat hujus Sa-

tur confecta, sive mixta, ex oleo & Balsamo, sicut corpora mista dicuntur confecta ex elementis, tantum virtualiter in iis remanentibus: Unde ad illud sufficit, modicum Balsami multo majori quantitati olei misceri. Hinc Patres saepe Chrisma vocant absolute oleum: sumendo denominationem a majore parte. Tantum tamen semper Balsami necessarium est, ut possit oleum dicto modo alterare, communicando ei suas qualitates, & praesertim odorem. Ita Coninch.

2. Sed mihi non displicet opinio Patris Dicaetilli, de Sacram. tom. 1. tract. 3. disp. unica, dub. 5. n. 62. ubi sic ait: Quanta quantitas Balsami sufficiat, ut admisceatur oleo? Communiter dicunt Doctores, sufficere quantitatem, qua Balsamum possit suas qualitates, praesertim odorem, oleo communicare. Ego sane satis probabile putarem, non tantum ad valorem Sacramenti (ad id enim non requirit Balsamum jam probavimus) sed etiam ad implendum praecipuum Christi sufficere modicam quantitatem Balsami pro magna quantitate olei. Neque puto necessarium esse, ut qualitates Balsami toti oleo communicentur: valebit enim Confirmatio, & absque ullo peccato fiet, etiamsi forte qualitates illas suas alicui parti olei non communicaverit. Essetque nimis scrupulosum, velle haec adamussum examinare; sat enim est, quod prudentis arbitrio, moraliter fiat mixtio utriusque liquoris. Imo hanc puto differentiam esse inter Balsamum, & oleum; ut si forte subfidente Balsamo (quod dicitur esse gravius) ex oleo supernatante conferatur Sacramentum; & valide & licite conferatur: etiamsi in illo nihil fragrantiae, aut alterius qualitates Balsami agnoscat, neque aliquid Balsami appareat. E contra vero, si unctio fiat ex illa parte Balsami subfidentis, ita ut absolute illa unctio censetur Balsamum, aut non valere, aut satis dubium esse puto valorem Sacramenti; debet enim absolute materia esse oleum. Ita ut quamvis vera esset sententia Auctorum, qui dicunt, Balsamum esse de necessitate Sacramenti; non sufficeret, si esset Chrisma absolute ex Balsamo habente aliquid olei admixtum: cum tamen e converso sufficiat etiam in eorum sententia; quando absolute est oleum, & aliquid habet Balsami. Haec Dicaetillus.

3. Notandum est hic obiter, quod si Sacramentum Confirmationis fuerit collatum tantum cum oleo sine Balsamo; esset quidem reiterandum, non tamen absolute, sed sub conditione; ut recte observat Leandrus de Sacram. tom. 1. tract. 3. disput. 3. quest. 3. stante probabilitate opinionis aliquorum Doctorum, asserentium, Balsamum non esse de necessitate Sacramenti, sed praecipui. Observat etiam dictus Leandrus, disput. 4. quest. 13. me citato, non peccare mortaliter Episcopum, qui in Confirmatione ungeret alio digito, quam dextero pollice; quod etiam, me citato, tenet Dicaetillus, ubi supra dub. 12. num. 149. & me citato, Aversa de Sacram. Confirmat. quest. 72. sect. 3. §. Ut Fernandez, & me citato Trullench de Sacram. Confirmat. lib. 2. cap. unico num. 7.

RESOL. III.

De forma Sacramenti Confirmationis. Et in textu hujus Resolutionis aliqua dubia, & difficultates deciduntur pro praxi supra dicta questionis. Ex part. 3. tr. 4. Ref. 27.

§. 1. Verba formae hujus Sacramenti sunt ista: Signo te signo Crucis, & confirmo te

Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ut autem intelligatur, quae verba sint essentialia, dicendum est sicut in Baptismo, sic & in Confirmatione, expressam sanctae Trinitatis invocationem esse essentialiam, ut indicat Concil. Florent. quia Confirmatio ordinatur ad perficiendam fidem in Baptismo acceptam, eamque fortiter profitendam. Caetera vero Sacramenta cum non ordinentur ad fidem profitendam, non requirunt necessariam istam trium personarum invocationem.

2. Actio ministri necessariam etiam exprimens est, & quidem sic, ut utrumque verbum non improbabiler putetur esse essentialia signo, & confirmo, quia non sunt aequipollentia, non enim omnes, qui signant, continuo confirmant, neque qui confirmant, hoc facere intelliguntur per signationem, nisi addatur verbum signo.

3. Et quamvis apud Christianos signatio intelligatur de signatione Crucis, quia tamen generalior est illius verbi significatio, ideo probabilis est necessarium esse illam particulam, signo Crucis.

4. Et similiter, quia in verbo confirmo, non factis exprimitur materia, & effectus, sicut in Baptismo significatur per verbum baptizo, ideo probabiliter dicitur, necessarium esse addere Chrismate salutis, vel sanctificationis.

5. Et rursum, quia debet exprimi subjectum, ideo pronomen, te, non potest omitti.

6. Formatio etiam signi Crucis est essentialis, quia alioquin falsificarentur verba formae; hoc autem signum Crucis necessarium debet fieri de chrismate in fronte, & haec omnia asserunt Coninch de Sacram. q. 72. art. 4. n. 65. & seq. Filiucius tom. 1. tract. 3. cap. 1. n. 20. & seq. & alij.

7. Notandum est etiam hic obiter cum Nugno in 3. p. tom. 1. q. 72. art. 4. diff. 1. quod licet non sit necessarium exprimere personam ministri formaliter, exprimens tamen virtualiter; itaque peccatum mortale esset, confirmare sub hac forma, Consignetur servus Christi, &c. Patet hoc ex usu universalis totius Ecclesiae, tam Latinae quam Graecae; licet enim concessa fuerit facultas Graecis baptizandi sub hac forma, Baptizetur servus Christi; non tamen est concessa illis similis facultas in sacramento Confirmationis.

RESOL. IV.

An Episcopus non confirmatus ministrans Sacramentum Confirmationis peccet mortaliter?

Ex quo inferitur, an sit peccatum mortale suscipere, vel conferre Ordinem ante Confirmationem, vel antequam Ordinem conferens sit confirmatus? Ex part. 9. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 46. alias 47.

§. 1. Affirmativam sententiam tenet Tannerus tom. 4. disp. 4. dub. 2. num. 48. & 49. sed non desunt negativam docentes, quibus adheret. Et ideo Serra in 3. part. D. Thomas, quest. 72. art. 8. sic asserit: [Nonnulli existimant, peccatum mortale esse, suscipere Ordines, praesertim majores, ante Confirmationem; hocque certius esse, si quis ordinaretur Episcopus: quia Episcopus tenetur alios confirmare; peccatum autem mortale est, ut non confirmatus, alios confirmet. Sed Magister Soto in 4. disp. 7. quest. unica art. 6. inquit: Licet, ubi commode fieri potest, aliqua sit culpa aliud quippiam Sacramentum sine Confirmatione suscipere: non tamen est mortalis, nisi ex contemptu fiat.

Sup. hoc magis late in Ref. r. not. seq. & in aliis ejus primae annotation.

Sup. hoc in Ref. praeterita §. 1. ad medium, a vers. Et ratio est. & in tom. 3. tr. 1. ex Ref. 19. §. 2. & c.

Sup. hoc Balsamo in Ref. praeterita a principio, & in aliis §§. ejus not. primae. Et pro digito alio contentio ad lin. 11. hujus §. infra in Ref. 6 §. ult. & in Ref. 7. & 8. & in tom. 4. tr. 8. ex Ref. 60. §. ult. a lin. 4. & late ibidem in Ref. 82. a lin. 9.

Sup. hoc & omnibus se-

quent. usque ad §. Formatio hujus Ref. Excludit in tom. 1. tr. 1. ex Ref. 16. a principio usque ad §. Observandum quomodo excludit, & in eius §. p. n. ult. & ult. & in Ref. 17. a §. Qui est, usque in finem praetertat Ref.

Sup. hoc supra in tr. 1. Ref. 60. Sup. hoc infra ex Ref. 6. §. 1. & 2. prope finem, praeterquam, & in §. ult. a lin. 8. & c. Sup. contextio in hoc §. ult. in tom. 3. tr. 1. ex Ref. 17. §. Secundum obicitur.

Sup. prima diffici. hujus cituli in 1. 4. tr. 8. ex Ref. 46. §. ult. & in Ref. 1. & 2. not. seq. §. ult. & in Ref. 3. §. 1. in fine, & infra in §. penultimo, & ult. hujus Ref. 4. not. seq. §. 2. in fine, & c. Sup. hoc in 10. 1. tr. 1. ex Ref. 99. §. ult. & in Ref. 100. §. 1. & 2. & in Ref. 101. §. 1. & 2. & in Ref. 102. §. 2. & hic infra in

fiat, Et art. 8. ait: Sacros Ordines conferre nullus debet Episcopus nisi confirmatis. Quamquam, si oppositum fieret, asseverare non audeam esse peccatum mortale. Illum sequuntur Navarrus cap. 22. num. 9. & alij recentiores, qui & dicunt, Episcopum non peccare mortaliter ordinando non confirmatum; aut etiam antequam ipse confirmatus sit, Confirmationem, aut Ordines conferendo. Et ad verba Concilij Tridentini respondent, ibi nihil præcipi iniciandis, sed præferibi Episcopis, quid facere debeant; quamvis, nec stricta aliqua obligatio imponatur: quia nullum est verbum, quo strictum præceptum iudicetur. Ita ille. Et quidem hæc omnia satis probabiliter dicta sunt.

2. Unde omnia superius dicta à Magistro Serra, confirmat contra Tannerum Pater Granado in 3. part. controv. 5. tract. 4. disp. 1. num. 8. ubi sic ait: [Dubitari potest, an aliquo præcepto teneatur suscipere Confirmationem, qui prima tonsura, & potiori jure; minoribus, aut majoribus Ordinibus iniciandus est: Tannerus supra existimat, esse grave peccatum, ac proinde peccare lethaliiter eum, qui, antequam confirmetur, initiatur prima tonsura. Probatur primò autoritate Tridentini sess. 23. de reformat. cap. 4. id præcipientis: Prima (inquit) tonsura, non iniuntur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperint, & fidei rudimenta edoceri non fuerint. Quod cum sit materia gravis, obligat sub mortali. Probatur secundo; quia qui initiatur; eo ipso ascendunt ad gradum sublimem in Ecclesia, eorundem munus est alios in fide roborare: ergo graviter delinquant, si non recipiant Sacramentum, virtute ejus confortetur hoc robur.

3. Melius tamen Suarez in fine sess. 1. cum Soto, Victoria, & Navarra docet, hoc non esse peccatum, saltem mortale. Imò, & Agidius Coninch, si attentè legatur, putat nec esse peccatum veniale; quòd certè mihi sufficienter probabile videtur, quia nullum extat præceptum non solum grave, sed nec leve. Si enim aliquod extaret, maxime illud ex argumentis Tannerii colligeretur. Sed ex illis nullum colligi probatur: quia in primis ex Tridentino non colligitur præceptum grave, cum nulla ibi sint verba, quæ juxta dicta in materia de Legibus, indicent gravem obligationem; nec ulla gravis poena infligitur; sed simpliciter dicitur, ne id fiat. Nec est, cur res ista ex se gravis censeri debeat; ut contendit Tannerus. Nec colligitur præceptum leve: quia, ut optimè notat Agidius, Tridentinum ibi loquitur cum Episcopis, & eis præcipit, ne conferant primam tonsuram non confirmatis; non verò ipsis, qui illam susceperunt sunt. Unde peccabit Episcopus admittens non confirmatum, quamvis non nisi venialiter: sed, qui initiatur nullum peccatum committit.

4. Deinde ratio Tannerii non urget: quia, qui initiatur, possunt docere, & roborare alios suis sermonibus, hortationibus, & orationibus; & consequenter non obligantur recipere Confirmationem, ut alios roborent.

5. Postremo docent communiter iidem Authores, quamvis contra sentiat Tannerus, non peccare lethaliiter Episcopum, qui, cum non sit confirmatus, alios confirmat, aut ordinat. A peccato autem veniali illum excusare non audeo: quia nonnulla ordinatio, & indecentia est ministrare hoc Sacramentum ex officio, & illud nolle suscipere; teneque ex Tridentino supra, nullum ad-

mittere ad primam etiam tonsuram, qui non sit confirmatus, & tamen nolle confirmari.] Huculque Granado, cui adde novissime Patrem Lessium in 3. part. 9. 72. art. 8. dub. 2. n. 32. ubi docet non videri obligationem sub peccato mortifero, ut is, qui ordinatur, aut etiam qui confert hoc Sacramentum; sit confirmatus.

6. Puto tamen, Episcopum non confirmatum, & ordinandum, debere confirmari, non enim à peccato veniali excusari potest Episcopus non confirmatus; si Sacramentum Confirmationis admittret: neque quis non confirmatus recipiens primam tonsuram, & Ordines, ut * alibi probatum est.

* Alibi in omnibus Ref. & §§. annotationum hujus Ref.

RESOL. V.

An Episcopus existens in peccato mortali, si Sacramentum Confirmationis in eodem tempore v. g. centum personis conferat, committat centum peccata mortalia?

Ex quo inferitur idem esse dicendum de Confessario in peccato plures confessiones eodem tempore excipiendo.

Et quid de Sacerdote ministrante Eucharistiam in peccato?

Et an laicus in peccato mortali ministrans Eucharistiam in necessitate moribundo non peccet, sicuti non peccaret, si ministraret Baptismum in peccato?

Imò, neque Sacerdos in extrema necessitate baptizans in peccato mortali non peccat.

Et an, qui ministrat Sacramentum in peccato, committat duo peccata, unum omissionis, quia non conteritur, alterum commissionis, quia indignè ministrat?

Et quid de Subdiacono, & Diacono canentibus Epistolam, & Evangelium ex consuetudine in peccato: an peccent mortaliter, vel tantum venialiter? Ex part. 9. tract. 7. & Misc. 2. Ref. § 8.

§. 1. Affirmativè respondeo, sicuti Confessarius in peccato mortali existens, si in eodem tempore centum personas absolueret, centum committeret peccata. Non nego tamen, probabiliter sustineri posse, Episcopum in tali casu unum tantum peccatum committere: nam, licet illa ministraciones Sacramenti sint numero distinctæ; tamen, quia successivè ministrantur, videntur collatae per modum unius, ita ut unum constituant peccatum mortale in genere moris, sicuti probabiliter Sagundez, & alij à me alibi citati asserunt, Confessarium plures confessiones eodem tempore excipiendo, unum solum peccatum committere. Affirmativè tamen sententiæ, ut dixi, ego adhæreo.

2. Hinc à fortiori dicendum est, ministrantem Eucharistiam pluribus in peccato mortali, non committere plura peccata: imò ego absolute assero, ministrantem Eucharistiam in peccato mortali, non peccare mortaliter. Sed hanc sententiam novissime nominatim contra me acriter impugnat Bordonus in consil. Regul. tom. 2. resol. 64. num. 13. [Quia, ait ipse, Sacerdos ad id munus est consecratus, & deputatus per Ordinem sacerdotalem, per quod in ipsa Ordinatione recipit gratiam, in-finuando Sacerdotem in administratione omnium Sacramentorum debere esse in gratia, ut sanè illa tractare possit. Et quia collatio Eucharistiae non est actio minus sancta, & minus excellens actio-nibus

Alibi infra in tr. 7. ex Ref. 27. §. Nec obstat. & in Ref. 42. & in multis aliis earum annotationum. Et sup. contento in hoc §. 2. H. ne. in tom. 2. tr. 2. Ref. 5. & in multis aliis ejus annot.

INTON. OPERA TOM. I. II. III.

nibus aliorum Sacramentorum : ergo, sicut ministrantes alia in peccato mortali peccant mortaliter ; ita & Eucharistiam conferentes conscij peccati mortali graviter ledunt animam suam. Et quia Sacerdos in collatione hujus Sacramenti ministerialiter concurrat ad gratiam sacramentalem, sicut in aliis : Doctores ergo cum S. Thoma *part. 3. quest. 64. art. 1. & 5.* simpliciter, & indistinctè probant Sacramenta conferri à ministris Ecclesie, qui ministerialiter concurrunt ad gratiam sacramentalem. Et quia simpliciter illud tangens in peccato mortali peccat venialiter, ut dixit Paludanus in 4. *dist. 5. quest. 2. concl. 3.* cum Suarez in *part. 3. de Sacram. Euchar. disp. 72. sect. 4.* Ergo à fortiori illud tangens cum administratione peccat plusquam venialiter. Demum cum inter alia Sacramenta id sit excellentissimum, & præstantissimum, continens ipsum Christum, autorem omnium Sacramentorum, cum omni reverentia, munditia, & puritate conscientie, & animæ fidelibus dispensandum est : ergo, qui illud administrat in peccato mortali, fugitur hoc munere cum magna irreverentia, & immunditia, consequenter peccat mortaliter ; ex majore etenim perfectione Sacramenti arguitur major imperfectio in ministro dispensante in peccato mortali.] Ita Bordonus, qui pro sua sententia plures Doctores adducit, quibus ego addo Castr. Palaum *tom. 4. tr. 19. disp. unic. punct. 5. n. 12.* Præposit. in 3. *part. quest. 64. art. 6. dub. 1. n. 35.* Franc. de Lugo *tract. de Sacram. in gen. c. 2. q. 5. n. 40.* Mercer. de *Sacram. q. 64. art. 6. dub. 1. n. 8.* Granad. in 3. *part. contr. 3. tract. 5. disp. 5. n. 12.*

3. Sed ego non recedo à sententia, quam docui, & præter Vasquez, qui fuit ingeniorum Phœnix, & alios * *alibi* à me adductos, nostram sententiam tenet ex Patribus Dominicanis Magister Serra in 3. *part. D. Thoma. q. 64. art. 6. dub. 1.* ubi sic ait : [Mihî tamen cum plerisque asserendum videtur, per actionem sacramentalem intelligendam esse eam, qua conficitur Sacramentum. Ex quo colligo primo, illum, qui ministrat Sacramentum jam confectum ; ut Sacerdos, qui alios communicat, Hostiam consecratam eis conferendo ; non peccare mortaliter, etiamsi in peccato mortali id faciat : quia tale ministerium non est actio sacramentalis, hoc est, confectiva Sacramenti ; imò nec propriè, & in rigore constituit ministrum Dei, cum sic ministrans non sit causa instrumentalis gratiæ, sed solum se habeat ut conditio, & ut applicans Sacramentum ad conferendam gratiam.] Ita ille, cui adde Amicum in *Cursu Theologico, tom. 7. disp. 9. sect. 1. n. 8.* Quia, ait ipse, quamvis actio ministrandi Eucharistiam applicet Sacramentum, quod est sanctificativum subjecti ; per se tamen non integrat unum cum actione per se sanctificativa subjecti. Idem etiam tenet Hurtado de *Sacram. in gen. disp. 4. diff. 9.* & Caspenf. in *Cursu Theol. tom. 2. tr. 21. disp. 5. sect. 3. n. 31.* Dico igitur, Sacerdotem existentem in mortali non peccare mortaliter, si Eucharistiam jam confectam, & consecratam ministrat alicui extra Missam, communicando, v. g. alicui, aut dando alicui Viaticum : quia, licet ministrare Eucharistiam per se pertineat ad potestatem characteris, & ad ministrum ex officio ; non tamen est actio sacramentalis gratiæ causativa deferre Sacramentum, & illud dare : minister enim in tali casu non est per se causa gratiæ, sed solum se habet, ut conditio sine qua non, seu, ut causa applicans activa passivis. Nam, ut bene notat Vasquez *disp. 136. c. 30.* in aliis Sacramentis ex ministro, & Sacramento unum conficitur instrumentum Dei ad sanctificationem : at

verò ex ministro deferente Sacramentum Eucharistie antè consecratum, & ex ipso Sacramento, non fit unum instrumentum : & ita Sacerdos, licet quando conficit Sacramentum, peccat mortaliter, si non existat in gratia ; non tamen quando solum se habet ut deferens. Concedo tamen, sententiam Patris Bordonî, & aliorum esse satis probabilem.

4. Ex his etiam à fortiori inferitur in sententia probabili Doctorum asserentium, posse laicum in extrema necessitate ministrare moribundo Eucharistiam, si hoc efficiat in statu peccati mortalis non peccare mortaliter, sicuti non peccaret, si ministraret Baptismum in peccato mortali, tempore necessitatis. Imò ego puto, in tali casu neque Sacerdotem baptizantem in extrema necessitate cum peccato mortali peccare mortaliter : quod olim docui, & docet novissimè Lessius in 3. *part. quest. 64. art. 6. dub. 1. n. 11.* Licet negativam sententiam doceat Castr. Pal. *tom. 4. tract. 18. disp. unica, punct. 5. num. 10.* Quia Sacerdos, ratione consecrationis, deputatur ad quorumbilibet Sacramentorum dispensationem ; ac proinde quocumque, & quomodocumque ministrat, ministrat ex officio. Si enim, cum solemniter baptizat, censetur esse Minister publicus ab ipsa Ordinis susceptione deputatus ; etiam cum absque solemnitate ob occurrentem necessitatem baptizat, debet censeri publicus Minister, & ex officio ad id deputatus : quia Baptismus solemniter à privato solum differt in caeremoniis, & ritibus ab Ecclesia institutus. Ergo, si Sacerdos ex vi suscepti Ordinis consecratur ad ministrandum Baptismum solemniter : & ad ministrandum privatè consecratur, neque ex vi consecrationis unum præ alio spectari potest, alias solemnitas à jure divino esset. Sed, licet hæc omnia probabiliter dicta sint, nostra sententia probabilitate non caret. Et hanc sententiam, præter Lessium, & alios, docet etiam Joan. Wiggers *sibi infra, concl. 2. n. 25.*

5. Et tandem, si quis quærat, an qui in peccato mortali ministrat Sacramentum, committat duo peccata ; unum omissionis, quia non conteritur ; alterum commissionis, quia indignè ministrat : Respondetur, unicum esse peccatum commissionis : quia tunc non est absolute præceptum peccandi, sed tractandi dignè Sacramentum : proinde omissionis penitentia non habet per se suam malitiam, sed est tantum circumstantia actus mali. Et ita docet Mercerus de *Sacram. q. 64. art. 6.* & alij.

6. Nota hic obiter, Lessium *sibi supra num. 10.* & alios docere, Diaconos, & Subdiaconos canendo Epistolam, & Evangelium in statu peccati mortalis per longum tempus, & ex consuetudine, & cum intentione frequenter ministrandi, peccare quidem mortaliter : nam illud objectum ita sumptum satis grave videtur, & illa consuetudo, vel propositum oriri videtur ex quodam contemptu formali, seu virtuali. Sed hoc mihi non placet, sicuti non placet Patri Francisco de Lugo de *Sacram. in genere, cap. 2. quest. 6. num. 51.* Quia velle sæpius peccare venialiter non constituit mortale, nisi quando ratione læsionis illata, vel alia simili causa, materia violationis continuatur, ut contingit in furtis minimis, in cæstionibus parvis intra diem jejuniij, vel similibus, quod non evenit in præsentî. Nam actus isti planè separantur inter se, nec relinquunt effectum post se, ratione cujus prior coalescat cum posteriori. Porro contemptum virtuale non facere de veniali mortale, censet Vasquez : Coninch verò negat, hic reperiri contemptum virtuale, aut implicitum ; sicut non includitur

* Alibi in Ref. not. præteritæ, &c.

Sup. hoc p. mo pro la. co in tom. 1. tr. 1. ex Ref. 67. in principio, & in 5. ult. &c. Et pro Baptismo magis late supra in tr. 1. Ref. 43. & pro Sacerdote ibi in Ref. 42. & in aliis eorum annot. tionum.

Quamvis non pleb. sup. hoc lege tamen supra in tr. 1. Ref. 10. & aliterus Ref. eius primæ annot.

Sup. hoc in tom. 2. tr. 1. in Ref. 118. & in alia Ref. & verò ejus annot. primæ.

De Sacram. Confirm. Resol. VI. 73

dicitur in frequentatione mendacij jocosij, vel verbi otiosi, similive venialis culpa: non enim apparet hic major ratio, quam in alijs. Unde concluditur Diaconum, & Subdiaconum in mortali exercentes sua ministeria solemniter, & frequenter, solum peccaturos venialiter contra naturale praeceptum.

7. Imò pater Vasquez in 3. part. disputat. 136. cap. 4. mon. 4. putat Diaconum, & Subdiaconum cantantem Epistolam, & Evangelium in peccato mortali, neque venialiter peccare. Quia nullum peccatum, etiam veniale, dari potest; quin sit contra praeceptum aliquod, ut ipse tradit 1. 2. disputat. 143. cap. 3. Cum ergo non detur hic praeceptum, nullum erit peccatum. Confirmat: quia, si peccatum aliquod committeretur, non esset veniale, sed mortale, cum materia sit gravis, alioquin Diaconi, vel Subdiaconi suspensi, vel excommunicati non peccarent mortaliter, exercendo solemniter actum Ordinis sui, nec incurrerent irregularitatem, quod nullus concederet. Sed melius docet Coninch. de Sacrament. quest. 34. art. 6. n. 38. & 39. Lugo, & alij, in tali casu Diaconos, & Subdiaconos committere peccatum veniale irreverentiae contra naturale praeceptum sancte tradendi res, & actiones sacras: quod alij communiter supponunt, & mihi sit verosimilius. Consonat sanctus Thomas in 4. distincti. 5. quest. 2. art. 2. quest. 4. dicens, quod quicumque in peccato mortali se ministrum exhibet Ecclesiae in quocumque spirituali, peccat. Non desunt tamen Doctores, ut Joannes Ugiers in 3. part. Divi Thomae, q. 64. artic. 6. conclus. 5. num. 30. & alij firmantes, quod Diaconus in statu peccati mortalis solemniter cantans Evangelium, & ministrans in Sacrificio Missae, committit peccatum mortale: quod & de Subdiacono in tali statu cantante Epistolam, & solemniter ministrante videtur quoque dicendum. Sumitur ex D. Thoma in 4. dist. 24. art. 3. & docent Angelus verb. Clericus, 8. Sylvester verb. Clericus, 2. Cajetanus 2. 2. quest. 2. art. 2. Victoria de ministerio Baptismi, quest. 29. Et ratio assignari potest: quia peculiariter sacramentali consecratione ad hoc munus sunt deputati, & in se ministerium magnum est: quia valde accedit ad ipsum Sacrificium; praesertim ipsius Diaconi, qui etiam cum Sacerdote tenens ejus brachium, aut pedem Calicis, simul praesentat, & offert materiam Sanguinis Domini, secundum eam rationem, qua mox in Sanguinem Christi mutanda est. Unde haec actio speciali reverentia est digna. Quare de Diacono conclusio est certior, quam de Subdiacono: nam & de Diacono scribit Apostolus 1. ad Timoth. c. 1. Hi autem probentur primum, & sic ministrant, nullum crimen habentes. Sed his non obstantibus, non est recedendum a communi sententia Doctorum asserentium, ut diximus, Diaconos, & Subdiaconos Epistolam, & Evangelium cantantes in peccato mortali, tantum peccatum veniale committere.

RESOL. VI.

An sit de necessitate Sacramenti, ut unctio in Confirmatione adhibeatur ab Episcopo in fronte?
Et an peccet mortaliter Episcopus, si saltem talem unctioem non faciat in fronte, & efficiat Sacramentum nullum?
Et an etiam de necessitate Sacramenti sit adhibenda praedicta unctio immediatè manu propria Episcopi,

Tom. I.

nullo medio instrumento, & in figura Crucis? Ex part. 9. tr. 8. & Misc. 3. Resolut. 30.

§. 1. **N**egativam sententiam docuit Martinus Ledesma in 4. sent. tom. 1. q. 13. art. 12. ubi sic ait: [Nota, quod puto non esse de substantia Sacramenti Confirmationis, ut in fronte conferatur; sed teneret factum, esto, in alia principali parte conferretur: peccaret tamen Episcopus, qui ritum Ecclesiae mutaret.] Ita ille, & post illum ex eadem Religione Victoria in Summa de Confirmat. q. 18.

2. Sed Viri doctissimi in hoc fecerunt lapsi sunt: nam Episcopus, non solum peccaret mortaliter, sed efficeret Sacramentum nullum, si frontem confirmandi non ungeret. Et idem sententiam Ledesmae, & Victoriae omnino falsam, & plusquam temerariam, imò oppositam existimat de fide Basilii Poncet in sua doctissima praefatione de Sacram. Confirmat. part. 2. cap. 5. n. 5. Probatur manifestè ex usu Ecclesiae ab antiquis Patribus comprobato, praecipue Tertulliano lib. de praescrip. c. 40. Dionysio de Ecclesiast. hierarch. cap. 2. part. 2. Cyril. Hierosolymit. catechesi. 3. & 4. mystagogica. Gregorio Turonensi lib. 2. de gestis Francor. cap. 31. Augustino Psal. 141. super illa verba: In via hac, qua ambulabam. Sed praecipue id constat ex Innocentio III. in cap. unico de Sacra Unctione, & ex Concilio Florent. Decreto de Armenis, declarante hujus institutionis rationem: [Ideo in fronte (inquit Concilium) ubi verecundiae sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & praecipue Crucem ejus, qua Judaeis est scandalum, gentibus autem stultitia, secundum Apostolum. Propter quod Crucis signo signatur.] Et licet antiqui Patres expressè non dixerint, hanc in fronte signationem esse essentialem; satis id indicantur abique ulla varietate convenientes, ita faciendam esse. Praeterquam quod eodem modo requirunt unctioem in fronte, ac in figura Crucis: sed unctioem in Crucis figuram reputant essentialem; ergo etiam in fronte reputare debent. Denique, ex fine hujus Sacramenti, qui est ad confirmandum Christum abique ulla erubescencia, & timore, non leve argumentum desumitur, ad probandum unctioem in fronte necessariam esse hujus sacramenti valori. Et ita tenet D. Thomas in 3. part. q. 72. art. 9. & tradunt, pluribus relatis. Suarez q. 72. art. 4. disputat. 33. sect. 3. in medio. Coninch. art. 3. dub. 1. conclus. 5. n. 53. Layman lib. 5. Summ. tract. 3. c. 2. n. 4. circa finem.

3. Nota tamen, quod licet sit essentialis, ut ea unctio fiat in fronte, ita ut si in ea non fiat, nullum sit Sacramentum Confirmationis: at non est essentialis, ut fiat in sola fronte, sed possunt etiam ungi Chrismate aliae partes, & sensus corporis juxta diversas Ecclesiarum consuetudines. Haec pars constat manifestè ex recepta consuetudine Ecclesiae Graecae à primis temporibus, & approbata ab Ecclesia Romana, juxta quam consuetudinem non solum frons baptizati, sed & aliae partes corporis inunguntur, cum hoc Sacramentum ministratur. Id convincitur primò ex Concilio II. generali, quod est Constanti-nopolitanum I. Can. 7. ubi statutum est, quosdam Haereticos à certis quibusdam haereticis ad Ecclesiam redeuntes recipiendos, & obsignandos sancto Chrismate in fronte, oculis, naribus, & ore, & auribus. In quibus verbis planè de Sacramento Confirmationis sermo est: Graeci enim quemadmodum in sacro Fonte baptizandos in aquam tra-

Sup. hoc quamvis non plenè & distinctè, lege camen § ult. Ref. seq. & supra ex Resol. 3. § For. matio.

Sup hoc etiam cursum infra in § ult. hujus Res. ad lin. 6 & in alijs ejus non

sed cur? lux oia m

tos immergunt, ita etiam in Confirmatione diversas corporis partes inungunt, toties repetita forma; qui tamen actus ex multis particularibus collectus, moraliter loquendo, unus censendus est, quamvis in prima unctione frontis, Sacramentum Confirmationis perfici, & effectum fortiri, indubitatum esse debeat.

4. Cum itaque unctio sit adhibenda, de necessitate sacramenti, in fronte, quaritur, an etiam de necessitate sacramenti sit adhibenda immediate manu propria Episcopi, nullo medio instrumento? & aliqui negant: unde Serra in 3. part. D. *Tooma*, q. 82. art. 4. sic ait: [Communiter asserunt Theologi, de necessitate sacramenti esse, ut unctio fiat in figura Crucis, & Crux formetur Chrismatis unctione. Quod autem hæc unctio fiat immediate manu ipsius Episcopi, & non medio aliquo instrumento, non est ita certum esse de necessitate sacramenti; nam, quamvis multi hoc factis probabiliter esse dicant; alij tamen oppositum docent.] Ita ille. Et hanc sententiam novissimè tenet Pater Quintanadyenas in *Theol. mor. tom. 1. tract. 2. singul. 3. n. 5.* qui citat Leandrum, Hurtadum & Henediam. Probatur hæc opinio. Facta enim unctione medio aliquo instrumento, utpote penicillo, seu calamo, forma hujus sacramenti verificatur: non igitur esse potest necessarium fieri manu Pontificis immediate. Neque ex usu, & consuetudine Ecclesiæ ea necessitas colligi potest; alias fieri pollice manus dextræ necessarium esse. Nihilominus dicendum est, necessarium esse fieri unctionem manu Episcopi immediate: quia impositione manus hoc sacramentum à primis Ecclesiæ exordiis conficitur, ut constat ex Apostolorum usu. Et ita docent Poncius, ubi supra, n. 7. Pitigian, in 4. tom. 1. dist. 7. q. 1. art. 6. in fine, Reginald. in praxi tom. 2. lib. 28. c. 2. n. 10. Filliuc. tom. 1. tr. 3. c. 1. q. 7. Cast. Pal. tom. 4. tr. 20. diff. unic. punct. 3. n. 4. & alij. Sed de hac difficultate alibi etiam aliquid tetigimus.

RESOL. VII.

An Episcopus, qui in Confirmatione ungeret alio digito, quam dextero pollice, peccaret mortaliter? Et utrum talis variatio sit materia gravis aut levis? Et an sit de necessitate præcepti, & Sacramenti, quod unctio Confirmationis fiat immediate manu Confirmantis sub signo Crucis, unde nunquam sit efficienda medio aliquo instrumento, ut tempore pestis potest dari Sacramentum Extrema-Unionis? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 22.

1. Affirmativam sententiam videtur docere Melchior Zambranus de casibus occurrentibus tempore mortis c. 2. dub. 1. n. 1. ubi sic asserit. Certum est obligari Episcopum sub præcepto ungeri immediate dextero pollice, quia ita præcipit Pontificale. Sic ille; & hoc etiam docere videtur Layman in *Theol. moral. lib. 5. tract. 3. cap. 2. n. 5.* qui citat Suarez.

2. Verum, ut rectè observat Didacus Nugnus in 3. part. tom. 1. q. 62. art. 4. diff. 3. concl. 4. hoc non est ita certum, quia non constat, utrum materia gravis, vel levis sit talis variatio, videtur enim parum referre, quòd unctio fiat indice, vel pollice: quòd fiat manu dextera, vel sinistra. Ita Nugnus, & ego (ut verum fatear) difficulter de peccato mortali damnarem Episcopum, qui indice v. g. unxerit aliquem in infirmitate.

3. Notandum est verò hic obiter, non solum

necessarium esse necessitate præcepti, quòd unctio Confirmationis fiat manu immediate confirmantis in fronte sub signo Crucis, sed etiam necessarium esse necessitate Sacramenti; unde nunquam erit efficienda medio aliquo instrumento, ut tempore pestis potest dari Sacramentum Extrema-Unionis.

Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis eius primæ not. & pro parte frontis in Ref. præc. rita à principio, & in alio § eius primæ not.

RESOL. VIII.

An hoc Sacramentum Confirmationis sit conferendum immediate manu Episcopi, ita ut sit nullum, si conferatur pollice sinistro, & non dextero, vel alio digito, vel quovis alio instrumento sive conjuncto, sive separato? Ex p. 3. tr. 4. Ref. 28.

1. Sacramentum in tali casu esse nullum docent Suarez, & Coninch. quos citat, & sequitur Layman in *Theol. moral. lib. 5. tract. 3. c. 2. num. 5.* quibus ego addo Reginaldum tom. 2. lib. 28. cap. 2. num. 10. Filliucium tom. 1. tract. 3. cap. 1. num. 17. Nugnum in 3. part. tom. 1. q. 72. artic. 4. concl. 2. quia manus impositio est de ratione hujus Sacramenti, atque adeo debet fieri, quando fit sacramentum ipsum, sed si fiat unctio medio instrumento, non est vera manus impositio. Ergo neque erit verum sacramentum.

2. Non desunt tamen DD. contrarium sentientes, & sic ait Fernandez de Heredia in *disputationibus de Sacrament. Confirmat. diff. 5. part. 5. dub. unic. n. 2.* Non estimamus pertinere ad necessitatem Sacramenti, quòd unctio fiat pollice dextero, vel sinistro, vel alio digito, vel quovis alio instrumento, sive conjuncto, sive separato, quippe nihil videtur deesse, neque ex parte materiæ, neque ex parte significationis formæ, quocumque ex his modis fiat chrismatio. Neque idè minus Sacramentum hoc dicitur manus impositio, si fiat unctio penna, vel alio instrumento, quo quidem mediante manus propria imponi dicuntur, sicut & manus violente in clericum injici dicuntur, si baculo, lapidè, & similibus percutiatur. Pertinebit igitur ad necessitatem præcepti, quòd sine gravi peccato omitti nequit. Ita Fernandez. Sed prima opinio & probabilis, & tutior est.

Sup. hoc supra in § ult. Ref. 6. & in Ref. 7. & in fine Ref. 2. & in tom. 4. tr. 8. ex Ref. fol. 60. ult. & in latè in Ref. 12. & in lin. 9.

Sup. hoc gravi peccato leg. 2. Ref. 200. præc. 12.

RESOL. IX.

An Episcopus ministrans publicè in Ecclesia Sacramentum Confirmationis sine Pluviali, Mitra, & Baculo Pastoralis peccat mortaliter? Et quid dicendum, si Episcopus confirmando omittet tantum unum ex indumentis sacris? Ex quo deducitur, an Sacerdos faciendo Sacramentum excusetur à mortali omittendo cingulum, aut manipulum ratione parvitatatis materiæ? Et quid si Episcopus omittet infigere alapam, quando ministrat sacramentum Confirmationis? Et ex consequentiis hujus Resolutionis patet resolutio alterius casus, nempe Episcopum ministrantem Ordines sacros statim post Missam sine aliis indumentis peccare mortaliter, sicut Sacerdotem ministrantem sacramentum Baptismi, & Extrema-Unionis sine vestibus sacris? Ex part. 7. tr. 10. & Misc. 1. Ref. 31.

1. Prima facie videtur respondendum partem affirmativam non esse certam: nam Nugnus

Sup. hoc in Ref. assignatis in annotatione est hujus Ref. * Sup. hoc etiam cursum supra prope finem §. 2. hujus Ref. ver. Sed unctio nem. & sup in Ref. 3. §. Formatio.

Alibi in dub. bus Ref. seqq. & in præ in fine Ref. 2. & in tom. 4. tr. 8. ex Ref. 60. §. ult. & latè ibi in Ref. 82. à lin. 9.

Sup. in Ref. seq. & in aliis eius not. primæ.

* Sup. hoc in fine Ref. seq.

Nugnus tom. 1. in 3. part. 9. 72. art. 12. ait : Tertius ritus est, quod Episcopus sit indutus vestibus sacris, prout habetur in Pontificali Rom. quam ceremoniam omittere esset grave peccatum, & forsan mortale. Ita ille, cui adde Candidum tom. 2. disputat. 1. artic. 10. dub. 27. ergo hi Doctores non audent damnare de peccato mortali Episcopum ministrantem sacramentum Confirmationis non indutum vestibus sacris, nam formidolose loquuntur.

2. Secundo, probatur hæc opinio ex auctoritate Villalob. in sum. tom. 1. tract. 6. difficult. 8. num. 3. & in Man. Conf. cap. 3. num. 6. ubi asserit : ceremonias accidentales in administratione sacramenti Confirmationis non esse observandas sub mortali. Sed ceremonia sacrarum vestium est accidentalis, ut ait Præpositus in 3. part. quest. 72. artic. 12. num. 54. & ibi Nugnus cum aliis. Ergo, &c. Hinc si Episcopus omitteret infligere alapam quando ministrat sacramentum Confirmationis non peccaret mortaliter, ut docet Mercer. de Sacrament. in 3. part. quest. 72. art. 12. num. 8. & alij, quia est ceremonia accidentalis. Ergo & idem dicendum erit in casu nostro.

3. Tertio, dicendum est, quod ceremonia indumentorum in Confirmatione, non habet specialem significationem, sed pertinet tantum ad decentiam & ornatum. Et ideo non videtur esse materia gravis, per ea quæ docet Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 15. sect. 5. Ergo, &c.

4. Sed pro resolutione hujus questionis suppono 1. Episcopum in administratione Confirmationis debere esse indutum vestibus sacris, nempe Stola, Pluviali, Mitra, & Baculo Pastoralis. Ita docet Alzed. in praxi part. 2. cap. 4. num. 23. Scip. de Rubeis in Aphorism. Episcoporum. ver. Confirmatio, num. 6. Castald. in praxi Cærem. lib. 1. cap. 1. Barbola de potestate Episcoporum part. 2. alleg. 30. num. 11. & sic respondet sacra Congregatio Episcoporum suffraganeo Britannensi die 10. Februarij anno 1585.

5. Suppono 2. ritus Sacramentorum non solum substantiales, de quo non est dubium, sed etiam accidentales esse observandos, ut docet Bonacia de Sacrament. disputat. 1. quest. 6. punct. 5. quest. ultim. num. 2. Reginald. tom. 2. lib. 26. cap. 4. num. 28. & alij communiter ex Concil. Trident. sess. 7. can. 13.

6. His suppositis, respondeo ad casum propositum, Episcopum ministrantem Confirmationem absque Pluviali, Mitra, & Baculo Pastoralis, peccare mortaliter. Probatur hæc opinio, quia vestes sacre in administratione hujus sacramenti pertinent ad ejus ornamentum, decentiam, & reverentiam, quod in Romano Pontificali præscribitur, & consuetudo inveterata Ecclesiæ observat. Sed Minister sacramenti tenetur observare ritus Ecclesiasticos præscriptos in administratione sacramentorum. Ergo Episcopus, qui Minister est ordinarius hujus sacramenti, debet indui vestibus sacris, ab Ecclesia, & consuetudine præscriptis, & aliter faciendo peccabit mortaliter, transgrediens ritum præscriptum, & consuetudinem Ecclesiæ in re gravi, ut est reverentia debita sacramento.

7. Confirmantur supradicta ex doctrina Joan. Petit, in Theolog. Sacrament. tract. 2. lect. 29. & aliorum asserentium peccare mortaliter Sacerdotem ministrando sacramentum Baptismi sine sacris vestibus, nisi excusetur ex parvitate materia. Quod etiam patet in administratione aliorum sa-

cramentorum; unde docet Aversa de Sacramento Extrema-Unionis sect. 4. in fine. Suarez in tertia parte num. 4. distinct. 44. sect. 2. num. 7. & alij communiter, Sacerdotem ministrantem Extremam-Unionem sine vestibus sacris, peccare mortaliter.

8. Si ergo secundum communem opinionem Doctorum, Sacerdos ministrans sacramentum Baptismi, & Extrema-Unionis sine vestibus sacris peccat mortaliter; quare non peccabit mortaliter Episcopus ministrans sacramentum Confirmationis absque indumentis ab Ecclesia & a consuetudine præscriptis?

9. Et nota ritus administrandi sacramenta cum vestibus sacris ab Ecclesia præscriptis adeo esse rem gravem propter reverentiam debitam sacramentis, ut Suarez ubi supra, putaverit administrare sacramentum Extrema-Unionis sine stola, & superpelliceo, etiam urgente necessitate, esse peccatum mortale, quia illud sacramentum non est de necessariis, unde præferenda est reverentia sacramenti; quantum magis dicendum est in casu nostro in quo ab Episcopo gratis indumenta sacra relinquuntur?

10. Nec valet instare asserendo doctrinam superius allatam non officere; nam concedendum est Episcopum peccare mortaliter, confirmando absque omnibus vestimentis sacris; sed in casu nostro Episcopus non ministrat Confirmationem sine omnibus vestibus sacris, sed tantum sine aliquibus. Ergo peccabit tantum venialiter.

11. Nam responderetur, quod si Episcopus confirmando omitteret unum ex indumentis sacris, non peccaret quidem mortaliter, ratione parvitate materia, ut in casu simili dixit Aversa ubi supra. At in nostro casu Episcopus omittit majorem partem indumentorum. Ergo non potest ex parvitate materia peccato mortali excusari; sicut Sacerdos in faciendo sacro, secundum aliquos excusaretur à peccato mortali, omittendo manipulum, vel cingulum, ratione parvitate materia, ut me cit. tenet Marchin. de sacr. Ord. tractatu 3. part. 3. cap. 15. num. 2. non autem si omitteret cum manipulo, aut cingulo aliud indumentum. Ergo, &c.

12. Restat modò respondere ad ea quæ supra in contrarium adducta sunt. Dico igitur ad primum non esse audiendos Nugnum, & Candid. loquentes dubitative, circa præsens dubium; nam eorum pace, non loquuntur consequenter ad ea, quæ docuerunt postea: nam Candidus tom. 3. disputat. 3. artic. 9. dub. 9. & Nugnus penes ipsum asserunt absolute, & sine formidine Sacerdotem ministrantem Extremam-Unionem, absque vestibus sacris peccare mortaliter: Quæro ab ipsis, quare non peccabit mortaliter Episcopus ministrans Confirmationem absque indumentis præscriptis, Resol. & in eum in administratione utriusque sacramenti eadem sit ratio, nempe ornatum, & reverentiam debitam sacramentis adhibendam esse secundum ritum præscriptum ab Ecclesia, & indefessa consuetudine approbatum: Itaque Nugnus & Candidus, si absolute dixerunt Sacerdotem lethale crimen incurere ministrando sacramentum Extrema-Unionis sine habitu consueto, debeant etiam absolute, & non dubitative asserere, peccare etiam mortaliter Episcopum confirmantem sine vestibus sacris.

13. Ad 2. argument. ex auctoritate Villalobos, Respondet, illum loqui de ceremoniis accidentalibus, quæ non versantur circa materiam gra-

sup. hoc pro Extrema-Unionis, in seq. §§ & infra in §. Restat. hujus Resol. & in tom. 2. tr. 4. ex Ref. 19. § Item administranda. & in tom. 3. r. 1. ex Ref. § sed pro.

Sup. hæc ommissione in tom. 4. tr. 8. ex Ref. 70 §. ult. à lin. 2.

Sup. hoc late in co. 2. tr. 1. Ref. 167. in principio, & in Ref. 169. §. 2. casum ad medium vers. nisi quoad cingulum, & ex doctrina Ref. 170. & 171.

Sup. hoc supra in fine § Confirmatur hujus Resol. & in aliis ejus not. quæ est secunda dicti §.

INTON. Opera Tom. 1 & 2



ven, ut verbi gratia, inflicto alapæ, quæ cæremonia ratione parvitatæ materiæ, non inducit obligationem peccati mortalis; secus dicendum de cæremoniis accidentalibus in materia gravi, ut est obligatio ministrandi Sacramenta cum vestibus sacris præscripta ab Ecclesia propter reverentiam sacramentis debitam, & ad exteriorem ornatum, & existimationem servata. Ergo, &c.

14. Ad 3. argument. Respondeo, cæremoniam quoad ornatum, & decentiam, quatenus pertinet ad reverentiam debitam in administratione sacramentorum inducere materiam gravem, & solum ratione parvitatæ materiæ, ejus omissionem excusari posse à mortali, ut observat Præpos. in 3. part. quæst. 82. art. 5. num. 187. & patet ex dictis. Negandum etiam supradicta indumenta non habere suum significatum, ut patet ex Sancto Thoma in Add. ad 3. p. q. 40. art. 7. in corp.

15. Unde ex his patet Resolutio alterius casus, nempe Episcopum ministrantem Ordines sacros statim post Missam, sine aliis indumentis peccare mortaliter; nam conficit sacramentum Ordinis absque vestibus præscriptis ab Ecclesia, & à consuetudine pro ornatu, & reverenti ejus administratione. Indumenta verò Missæ fuerunt ab Ecclesia præscripta pro digna administratione sacramenti Ordinis, & ideo dicuntur indumenta Sacerdotalia, non Pontificalia, unde habent diversum significatum. Ergo aliter facere esset miscere, & pervertere sacros ritus, & cæremonias in re gravi. Ergo, &c.

RESOL. X.

An Episcopus in sua Diocesi peccet, si confirmet subditos alterius Episcopi, & hoc extra Ecclesiam, & post prandium?

Et an cæteris paribus per Sacramentum Confirmationis major gratia conferatur, quam per Baptismum, & per nullum aliud Sacramentum, excepto Ordine?

Et notatur non esse peccatum veniale recipere Eucharistiam ante hoc Confirmationis Sacramentum. Ex p. 4. t. 4. & Misc. Ref. 50.

Sup. hoc in §. 1. Ref. seq. & in Ref. 1. post seq. Adde. & in tom. 2. tr. 5. ex Ref. fol. 100. Adde. & in tom. 3. tr. 3. Ref. 61. post medium à vers. Notandum est.

§. 1. **H**ic casus frequenter potest accidere, & affirmativam sententiam docet Martinus Bonacina de Sacrament. disput. 3. punct. 2. num. 10. ubi citat Petrum Ledesnam, Vivaldum, & Bartholomæum ab Angelis. Ratio est, quia mittit falcem in messem alienam, nec constat de voluntate proprii Episcopi.

2. Verum me consulente sine ullo scrupulo Doctores, Episcopi confirmare possunt alienos subditos, & ita docet Petrus Ochagavia de Sacrament. tractat. unic. de Confirmation. quæst. 11. num. 1. ubi sic asserit. Potest Episcopus sine ulla pena, aut culpa, dum in sua Diocesi suos confirmat, alienos subditos ibi concurrentes confirmare, quia præsumendum est id gratum futurum alieno Episcopo; & probatur ratione, quia cum actus confirmandi non petat (ad valorem) necessarium jurisdictionem, facillè præsumitur rati habitio alieni Episcopi. Ita ille, qui citat Cajetanum, Paludanum, & Henriquez, quibus ego addo Tannærum in 3. part. Div. Thom. disput. 4. quæst. 4. dub. 3. num. 56. vide etiam Barbolam de jure Pontificio lib. 1. cap. 11. num. 47. Præpositum in 3. part. Div.

Thom. quæstione septuagesima secunda, articulo 8. dub. 2. num. 39. Sa verb. Confirmatio, num. 2. Henriquez lib. 3. cap. 6. numero sexto, & Layman in Theologia morali, libro quinto, tractatu tertio, capit. 5. num. 2.

3. Notandum est etiam hic obiter primò contra Nugnum in 3. part. tom. 1. quæstione septuagesima secunda, art. 2. non peccare mortaliter Episcopum qui sacramentum Confirmationis ministraret extra Ecclesiam. Ita Bonacina ubi supra, et. 8. Ref. 11. num. 14. non enim consuetudo confirmandi in Ecclesia recepta est cum tanto onere, ut reum mortalis culpæ constituit Episcopum alio in loco confirmantem, & hanc sententiam tenet etiam Præpositus loco citato, in 3. part. quæstione septuagesima secunda, articulo 12. num. 54. ubi sic ait: Sacramentum Confirmationis potest conferri post prandium, & quamvis conferri debeat decenti loco, non tamen necessariò in Ecclesia. Ita ille.

4. Nota secundò contra Sotum in 4. distinct. 7. quæstione unic. articulo septimo, proposit. 3. non esse peccatum veniale recipere Eucharistiam ante hoc Sacramentum, si enim hoc esset, multa peccata venialia circa hoc efficerentur, & nulla ratione id ostendi potest, & antiqua consuetudo Ecclesiæ, qua statim post Baptismum succedebat Confirmatio, deinde Eucharistia, jam exolevit. Ita Præpositus ubi supra articulo octavo, num. trigesimo octavo.

5. Et tandem ut Christiani non sint negligentes, ut plures sunt circa susceptionem hujus Sacramenti, sciant, cæteris paribus, per sacramentum Confirmationis majorem gratiam conferri, quam per Baptismum, & per illum aliud sacramentum, excepto Ordine, per quem aliquis constituitur in Ecclesia. Sic Præpositus articulo 7. dubio 1. numero trigesimo quinto, in fine, contra Scotum in 4. distinct. 7. quæstione prima. Sed hanc sententiam tenet etiam Sotus ubi supra. Suarez in tertia parte, tom. 3. disputat. 34. sect. 2. Ochagavia de Sacrament. tract. unic. de Confirmat. quæstione 7. num. 5. & alij

RESOL. XI.

Quidam Episcopus in sua Diocesi confirmavit subditum alterius Episcopi, & hoc extra Ecclesiam, queritur, an peccaverit?

Et an ita confirmatus etiam peccet?

Et cursum advertitur esse peccatum mortale baptizare aliquem extra Ecclesiam sine necessitate. Ex part. 2. t. 17. & Misc. 3. Ref. 17.

§. 1. **P**eccasse mortaliter, putat Petr. de Ledesma in summ. tom. 1. de Sacrament. Confirmationis, cap. 9. cujus verba sunt. [El Obispo de un Obispado, si confirma aquel que es de otro Obispado sin licentia del otro Obispo, peccá mortalmente, como pecaría mortalmente el Obispo, que ordenasse un subdito del otro Obispo sin su licentia. Tambien pecaría mortalmente, el que en el tal caso se confirmasse, sino es que tuviese ignorancia invincible.] Hæc ille; quam opinio nem sequitur etiam Bartholomæus ab Angelo dialog. 3. §. 62. Aloysius Riccius in praxi variar. resolut. part. 2. resolut. 24. Toletus lib. 2. cap. 24. n. 5. Vivaldus & alij.

2. At mihi probabilior semper visa est contraria sententia

sententia, quam tenentur Henrici lib. 3. cap. 6. n. 6. & Emanuel Sa verb. Confirmatio, num. 2. Ratio est, quia licet suscipiens sacramentum Confirmationis, sit subditus alterius Episcopi, tamen presumitur hoc ratum, & gratum fore proprio Episcopo. Sed secus si rati habitatione, erit mortale, ut docet prima opinio.

3. Nec etiam peccavit mortaliter, quia ministravit hoc sacramentum extra Ecclesiam. Nam licet Didacus Nugnus in 3. part. tom. 1. quest. 72. art. 1. 2. teneat affirmativam sententiam, quia excellentius est hoc sacramentum, quam Baptismus, sed peccatum mortale est baptizare aliquem extra Ecclesiam, sine necessitate: ergo etiam confirmare. Deinde probatur ex universalis consuetudine totius Ecclesiae, quae in re gravi obligat sub peccato mortali.

4. Atamen mihi semper placuit contraria sententia, quam sequitur ex antiquis Paludanus in 4. quest. 3. art. 3. & ex recentioribus Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 3. sect. 2. ait esse probabilem; & Martinus Bonac. de Sacram. disp. 3. quest. unic. punct. 2. existimat, consuetudinem confirmandi in Ecclesia, non esse receptam cum tanto onere, ut reum lethalis culpa constituat; nimis ergo rigide in hac re loquutus est Nugnus.

RESOL. XII.

An Episcopus possit confirmare aliquem afferentem dimissorias sui Episcopi, ut ordinetur?

Et notatur Episcopum confirmantem in sua Diocesi subditum alterius nullam censuram, aut culpam incurere.

Et si Episcopus ordinet aliquem non confirmatum, queritur, an peccaverit mortaliter; sicut etiam idem dicendum est de illo, qui vult suscipere Ordines, si non sit confirmatus? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 24.

DE hoc casu olim interrogatus fui ab Illustrissimo Marco la Cava Episcopo Mazzariensi, & affirmativè respondi cum Zambrano de casibus occurrentibus in art. mortis c. 2. dub. 2. ubi sic asserit: Quando Episcopus vult ordinare aliquem afferentem dimissorias literas sui Episcopi, potest licitè eum confirmare, si non est confirmatus; quia qui concedit finem, concedit necessaria ad finem talem: at Confirmatio praeiudicanda est Ordinibus; ergo. Ita Zambranus qui citat Henrici lib. 3. c. 6. n. 6. & novissimè inveni hanc sententiam docere etiam Layman lib. 5. tr. 3. cap. 6. n. 2. & Fagund. praecip. 5. lib. 3. c. 1. n. 8.

2. Adde etiam, ut supra notavimus, Episcopum confirmantem in sua diocesi subditum alterius, in nullam censuram, aut culpam incurere, cum praesumendum sit, hoc gratum fore proprio Episcopo, Ita Genuensis in manuali Praeceptorum c. 5. n. 7. & alij, quos citat, & sequitur doctus Barbola de potest. Episc. p. 2. alleg. 30. n. 12. quidquid in contrarium asserant Bartholomaeus ab Angelis in exam. confess. & alij, quos citat, & sequitur Bonacina de Sacram. disp. 3. quæst. unic. punct. 2. n. 11.

3. Notavi etiam tunc interrogatus circa supra dictum casum, quòd si Episcopus ordinet aliquem non confirmatum, non peccat mortaliter. Ita Zambranus ubi supra, dub. 3. num. 3. cum multis aliis. Sicut etiam dicendum puto, cum eodem Zambrano, de illo, qui vult suscipere Ordines, etiam si non sit confirmatus, non enim peccat mortali-

liter. Et ratio horum omnium erit, quia nullibi reperitur de hoc præceptum obligans sub mortali; nec usus, nec Concilium Tridentinum, sess. 23. de Confirmatione, cap. 4. utitur verbis talem obligationem significantibus; erit igitur hoc peccatum veniale tantum. Vide etiam Molfesum in sianm. tom. 1. tract. 4. cap. 2. num. 21. & Reginald. rom. 2. lib. 28. cap. 3. num. 24. quidquid in contrarium videatur docere Nugnus in 3. part. tom. 1. quest. 72. art. 8. concl. 7. ubi ait: Gravissimum peccatum veniale, & fortè mortale peccatum est suscipere Ordines minores ante Confirmationem, sed tu tene nostram sententiam.

Melius, & in aliis positus in notacionibus dicti verfi. Nonnulli, & §. Melius, & in tom. 2. tr. 5. ex Ref. 11. §. 2. à lin. 10. utique in finem dicti §. & in aliis ejus annot. prima & secunda.

RESOL. XIII.

An infantibus ante usum rationis moriturus possit conferri Sacramentum Confirmationis?

Et notatur, quòd confirmare infantem non est prohibitum etiam sine causa. Ex part. 3. tractat. 3. Resolut. 31.

§. 1. VIdetur negativè respondendum; nam hæc temporibus prohibitum esse videtur ministrari Sacramentum Confirmationis infantibus ante usum rationis; eam amplecti videtur Gregor. de Valent. quest. 2. de Confirmat. punct. 2. quatenus absolute negat pueros esse confirmandos ante usum rationis; faver Suarez disp. 3. §. sect. 2. §. utraque, ex his opinionibus, quatenus in fine ait: non admodum peccaturum Episcopum si ex sola benevolentia, aut ob aliam similem causam confirmet infantem: ex quo videtur inferri aliquantulum saltem peccaturum; ac proinde venialiter, & consequenter id esse saltem leviter prohibitum. Afferri etiam potest Petrus de Ledesma in summ. de Confirmat. cap. 70. quatenus ait oportere infantem non confirmari; licet non sit peccatum mortale; indicat ergo esse veniale. Probatur primò autoritate Pontificalis Romani, ubi sic habetur. Nullus Christiana fidei Rudimentis non edoctus ingerat se ad percipiendum hoc Sacramentum Confirmationis. Praecipitur ergo confirmandis ut sciant doctrinam Christianam, quam ante rationis usum non possunt addiscere: similiter præcipit, ut accedant jejuni, quod in infantem non aptè convenit; idemque Episcopus instruit, vel aliam levem impingat confirmato, scilicet ut recordetur Sacramenti: infans autem non videtur percipiendus, ut non excidat memoria, quod non intelligit. Secundò probatur autoritate Concilij Mediolanensis I. quod sic habet. Minori septennio nemini præbeatur Confirmatio. Infantes autem, qui septennium attingerunt, ratione utuntur; saltem regulariter loquendo; ergo ante usum rationis nemo est confirmandus. Tertio probatur, quia consuetudo obtinet vim legis; sed hæc tempestate consuetudo fert, ut ante usum rationis non confirmentur pueri; ergo lex est id præcipiens, ac proinde obligans, saltem sub veniali; imò cum materia sit magni momenti, censendum est præceptum grave, ac proinde obligans sub mortali.

Sup. hoc in Ref. seq. §. 1. verfi. Tertio & in Ref. 1. post seq. §. 1. & in tom. 3. tr. 1. ex Resol. 10. §. Non de hinc, & lege etiã ibi §. Sed sem. & non pigebit.

2. Sed his non obstantibus in casu nostro affirmativam sententiam docet Zambranus de Sacram. Confirmationis, cap. 2. dub. 3. num. 4. cui adde Granadum de Sacram. in 3. part. controv. 5. tract. 2. disp. 2. num. 10. ubi sic ait: placet mihi quod tenet Suarez; nimirum in articulo mortis expedire Confirmat-



firmationem ministrare ejusmodi infantibus, si commodè fieri possit, quia quamvis non sint professuri fidem coram Tyranno, recipient gratiam sanctificantem, cui major gloria respondebit, & non est cur tanto beneficio priventur. Ita ille, & ante omnes Magister omnium, D. Thom. in 2. 2. q. 72. art. 8. ad 4. quem citat, & sequitur Layman lib. 9. tract. 3. cap. 5. num. 3. cum Sancto in select. disp. 40.

3. Non desinam tamen hic obiter adnotare, quòd confirmare infantes non est prohibitum, etiam sine causa. Ita Hurtadus de sacram. Confirm. difficult. 10. & Granadus ubi supra.

RESOL. XIV.

Utrum pueri ante septennium possint aliquando Sacramentum Confirmationis accipere?
Et an sit peccatum mortale confirmare infantem ante septennium sine aliqua justa causa? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 19.

Sup. aliquibus causis huius §. 1. in Ref. seq. & in tom. 3. tr. 1. ex Ref. 10. §. Non desinam. & vide etiam §. Sed rem. Sup. hoc tertio in Refol. præterita, & in aliis ejus primæ not.

§. 1. Possè interdum ante dictam ætatem Sacramentum hoc licitè suscipi, docet Paulus Layman in Theol. mor. lib. 5. tractat. 3. cap. 5. n. 2. Primò, si manifestum sit puerum ante ætatis septennium usum rationis præditum esse. Secundò, si non confirmatus, diu non habiturus sit occasionem Sacramenti accipiendi. Tertio, si puer in periculo mortis existens opportunè istud Sacramentum consequi possit. Quarto, si Diocesis consuetudo vigeat, ut pueri ante dictam ætatem confirmantur. Ita Layman, vide etiam Villalobos in summ. tom. 1. tract. 6. difficult. 6. num. 1. Eillucium tom. 1. tract. 3. cap. 2. num. 36. Sylvium in 3. part. q. 72. art. 8. & alios.

2. Sed quæres, an sit peccatum mortale confirmare infantem ante septennium sine aliqua justa causa ex supradictis? Respondeo negativè cum Didaco Nugno in 3. part. quest. 72. art. 8. concl. 4. ubi sic assent. Non est peccatum mortale confirmare infantes ante usum rationis. Probatur; quia etiam DD. tenentes non esse infantes confirmandos ante septennium, solum dicunt hoc non convenire. Deinde probatur, quia cum dispositio non sit ita necessaria ad hoc Sacramentum, non videtur res gravis, quod conferatur infantibus, quando neque habent dispositionem, neque etiam impedimentum.

RESOL. XV.

An infantes filij Principum, vel si periculum mortis imminet, vel ob alias honestas causas ante usum rationis possint ab Episcopo confirmari?
Et an sit peccatum mortale confirmare infantes ante septennium, & usum rationis?
Et an sit licitum confirmare non solum amentem, qui aliquando usum rationis habuit, si alioquin non constet incidisse in amentiam in statu peccati mortalis, sed etiam perpetuò amentes, atque adeo etiam illos, qui sunt in articulo mortis constituti?
Et notatur, quod Episcopus non est damnandus de peccato, si hoc facere permittat. Ex part. 3. tr. 6. & Misc. 2. Ref. 93.

§. 1. Affirmativè respondeo cum Tannero tom. 4. disp. 4. quest. 4. dub. 2. n. 37. ubi sic assent. Colligitur ob honestas causas decenter quoque infantes nonnunquam confirmari posse, ut si propter distantiam rariùs in eo loco confirmet Episcopus, si filius Principis sit, si periculum mortis imminet infanti, &c. Ita ille, qui citat Henriquez, & Suarez.

2. Nota tamen hic obiter, ut alibi notavimus, per se loquendo non esse peccatum confirmare infantes ante usum rationis, ut signat D. Thomas in 3. part. q. 77. art. 8. ad 2. & expressius in 4. sent. dist. 7. q. 3. art. 2. quest. 2. Alensis in 4. part. q. 28. membr. 2. & 3. Bonaventura in 4. dist. 7. art. 3. q. 1. Richardus art. 3. quest. 2. Gabriel art. 3. dub. 7. Petrus Sotus lect. 2. de confirmat. & alij. Confluit tamen est, ut infantes non confirmantur ante usum rationis, ut probant communiter DD. & Ecclesia consuetudo, quam tamen sub peccato non obligare existimat Suarez, quem citat, & sequitur Tannerus ubi supra.

3. Nota etiam non solum licitè confirmari amentem, qui aliquando rationis usum habuit, si alioquin non constet incidisse in amentiam in statu peccati mortalis, sed etiam perpetuò amentes, atque adeo etiam illos, qui sunt in articulo mortis constituti, quidquid in contrarium asserat: Emanuel Sà ver. confirmatio, & Valentia q. 2. punct. 2. & alij, & ita docet Henriquez, Suarez cum Tannero loc. cit. n. 39. & ego alibi. Sed quia, ut diximus, nonnulli Theologi oppositum sentiunt, non est Episcopus damnandus de peccato, si hoc facere prætermittat.

RESOL. XVI.

An perpetuò amentes sint confirmandi?

Et inferitur licitum esse confirmare amentem, qui aliquando usum rationis habuerit, si alioquin non constet incidisse in amentiam in statu peccati mortalis.

Et an, secluso scandalo, & contemptu, non peccet mortaliter, si quis Sacramentum Confirmationis non accipiat, etiam si ad recipiendum illud ad sit notabilis negligentia? Ex p. 3. tract. 4. Ref. 20.

§. 1. Negativè respondent Valentia tom. 4. disp. 5. q. 2. punct. 2. Sà ver. Confirmatio, n. 5. Chamerota de Sacram. tr. 3. c. 6. dub. 3. Sotus in 4. dist. 7. q. unic. art. 8. Ledesma in summ. tom. 1. de Sacram. Confirm. c. 7. in fine, & alij; quia hoc Sacramentum datur ad militandum in vita spiritali, sed amentes non sunt capaces talis militiae, Ergo neque Sacramenti.

2. Sed contrariam sententiam omninò sustinendam esse puto cum Zambrano de cas. tempore mortis, cap. 2. dub. 5. n. 3. Nugno in 3. part. q. 72. art. 8. concl. 7. Pitigiano in 4. sent. tom. 1. dist. 7. q. 1. art. 8. Villalobos in summ. tom. 1. tract. 6. difficult. 6. num. 2. Layman in Theol. Mor. lib. 5. tract. 3. cap. 5. num. 3. Fillucio tom. 1. tract. 3. cap. 2. n. 38. Sylvio in 3. p. q. 72. art. 8. Suarez in 3. part. t. 3. disp. 35. sent. 2. Coninch. de Sacram. q. 72. art. 8. n. 83. & alij. Et ratio est, quia non debent privari gratia hujus Sacramenti, & per accidens est nunquam esse spiritualiter pugnaturos. Datur etiam hoc Sacramentum, ut augeatur gratia, cujus effectus amentes sunt capaces, expeditque ut conferatur illis ut habeant majorem gloriam. Ex quibus patet responsio ad argumentum contrariae sententia.

RESOL. XVIII.

An adultis in articulo mortis possit ministrari Sacramentum Confirmationis? Et an sit preceptum, data opportunitate, suscipiendi Confirmationem? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 30.

§. 1. Respondeo affirmativè cum Sancio in se- lect. dispur. 40. num. 4. Igitur ægroti in periculo mortis, si antea confirmati non fuerint, optimum esset eos per Episcopum consignari, c. ut Episcopi, de Consecr. dist. 5. Idem docet Hugo S. Vict. 2. de Sacr. p. 7. c. 3. D. Th. hic art. 8. D. Bonaventura, Soto, & alij in 4. dist. 7. favètque ratio: nam etiam si fortè non convalescant, tamen Sacramentum iis prodest simpliciter ad augmentum gratiæ, quæ est per se aliquid præstantissimum, prodest quoque ad pugnam cum carne propria, & cum demone ipso in articulo mortis, imò ad molestias morbi facilius tolerandas; quamvis enim fateamur aliud Sacramentum fuisse institutum contra tentationes mortis, nimirum Extremam-Unctionem, sed tamen bonum bono additum efficit aliquid melius, & funiculus duplex fortius adstringit. Adde quòd morbi aliquando sunt valde diuturni, & multorum nunc mensium, nunc annorum. Aliqui citant hic Innocentium I. ep. 1. sed malè, non enim ibi agit de Sacramento Confirmationis, sed Extreme-Unctionis, quod quidem ait Episcopus ægrotis conferre posse, & licet utatur vocabulo Chrismatis, tamen vel accipit Chrisma improprie pro qualibet sacri olei unctione, vel intelligit Episcopos uti posse sacro Chrismate ad Extremam-Unctionem, quod non licet Sacerdotibus. Unde ex his Adrianus in 4. de Confirmatione, art. 1. putat obligari sub mortali infirmos sacramentum Confirmationis sumere, ubi esset consuetudo obligatoria, sed Zambranus de Sacram. Confirm. cap. 2. dub. 5. num. 4. credit dictam consuetudinem modò non reperiri alicubi.

2. Sed dices, non solùm ex consuetudine, sed ex præcepto teneri adultos Confirmationem sumere, ut docet Scotus in 4. distinct. 7. quest. 2. D. Bonavent. art. 3. qu. 2. D. Anton. in 3. part. tit. 14. c. 14. VValdenis lib. 2. de Sacram. cap. 111. Sylvelter ver. Confirmatio, num. 3. Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacrament. part. 3. cap. 3. & Petrus Sotus lect. 2. de Confirmatione, & probatur ex D. Cypriano ep. 70. ubi ait, necessarium esse, ut baptizati ungantur Chrismate: ista enim necessitas præ se fert aliquod præceptum; eodèmq; modo loquitur D. Melchiodorus episc. ad Episcopos Hispania. Etiam si moriturus sufficiat regenerationis auxilia, tamen victuris necessaria sunt Confirmationis beneficia: & duo hæc Sacramenta ita juncta sunt, ut ab invicem, nisi morte præveniente, separari nullatenus possint, & unum sine altero ritè perfici nequeat, cap. de his, de consecrat. distinct. 5. Concilium Aurelian. can. 3. baptizatus non censetur Christianus, nisi post Confirmationem Episcopalem, intellige planè ac perfectè Christianus. Huc quoque pertinet cap. omnes fideles de Consecrat. distinct. 5. ex Epistola Urbani. Omnes inquit, fideles post Baptismum debent accipere Spiritum sanctum per impositionem manuum Episcopi, ut plenè Christiani inveniantur. Accedit ratio, etenim vita hæc plena est innumeris tentationibus, & milita est vita hominis super terram: ergo qui potest hoc Sacramentum suscipere, nec ta-

Sup. hoc supra in Ref. r. 6. §. ult. & in Ref. 17. per totam. & in alijs ejus annot.

ANTON. Opera Tom. 1. & 2. E III

RESOL. XVII.

An quis peccet mortaliter non suscipiens Sacramentum Confirmationis, dummodo non adsit contemptus?

Et an notabilis negligentia contemptus censeatur, ut si quis data opportunitate suscipiendi illud Sacramentum, qualem postea facile non habiturus sit, illud suscipere intermitat?

Et notatur, quod per accidens, ut ratione scandali, possit omisso hujus Sacramenti esse peccatum mortale. Ex part. 3. tract. 4. Ref. 25.

§. 1. Ego alibi negativam sententiam docui cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Valentiam tom. 4. disp. 5. q. 2. punct. 3. Molfesum in summa, tom. 1. tract. 4. cap. 2. n. 21. Fernandez de Heredia in disputationibus mixtis, de confirm. dist. 5. part. 2. dub. 1. num. 6. Etium in 4. sent. dist. 7. §. 18. Zambranus de casibus occurrentibus in art. mortis, cap. 2. dub. 4. num. 1. qui citat Henriquez, Adrianum, Sotum, Ledesnam, Navarum, Rodriguez, Covarruviam, & Suarez, dummodo non adsit contemptus.

2. Sed difficultas est, an notabilis negligentia contemptus censeatur, ut si quis data opportunitate suscipiendi istud Sacramentum, qualem postea non facile habiturus sit, illud suscipere intermitat: Affirmativè respondent Richardus, Bonaventura, Durandus, Marsilius, Paludanus, Major, Sylvelter, Toletus, & alij apud Fernandez in exam. Theol. mor. part. 3. §. 5. n. 1. & Layman in Theol. mor. lib. 1. tract. 3. cap. 5. n. 4.

3. Sed ipsi merito negativam sententiam docent cum Caietano, Soto, Navarro, Victoria, & alijs. Et ratio est, quia ait Layman, multa animæ salubria facere intermitimus, quia cogitamus absolute ad salutem nobis necessaria non esse, quæ tamen non contemnimus; sed hoc accidit in casu nostro; ergo. Notandum est tamen, per accidens, ut ratione scandali, posse amissionem hujus Sacramenti esse peccatum mortale, igitur secluso scandalo, & contemptu illud omittere non erit crimen lethale.

men unquam suscipit, per totam vitam exponit se periculo, ac proinde peccat nunc mortaliter, nunc venialiter ratione circumstantiarum, & sunt res morales cum circumstantiis accipiendae; peccat, inquam, nisi per aliquam ignorantiam excusetur. Taceo quod sacramentum hoc non videtur omitti posse deliberate per totum vite tempus sine aliquo contemptu, aut scandalo. Et ita hanc sententiam Ex rationibus supradictis tenet novissime ex insigni Universitate Sorbonica Philippus Gamachus in summa Theol. tom. 3. q. 69. c. 9.

4. Verum his non obstantibus, ego puto nullum adesse preceptum per se suscipiendi Confirmationem, adhuc data opportunitate. Ita D. Thom. in 3. part. q. 72. artic. 8. ad 4. Ochagavia de Sacrament. Confirmat. q. 12. num. 3. Prapolutus in 3. part. q. 72. art. 8. num. 38. Granadus de Sacrament. in 3. part. controv. 5. tracl. 4. dist. 1. num. 4. & ita etiam ex Soto, Covarruvias, Vasquez, Suarez & Coninch, tenet Hurtadus de Sacrament. Confirm. difficult. 11. quia predicti Pontifices non agunt de necessitate simpliciter, quae efficit preceptum, sed de necessitate secundum quid, quae indicat quamdam utilitatem. Praeterea hoc preceptum nec scriptura, neque Ecclesia imposuit, quia Ecclesia circa Sacramenta tantum solet determinare tempus, in quo debeant recipi, ut videmus in sacramento Eucharistiae, & Poenitentiae. Sed circa hoc sacramentum nullum tempus determinavit Ecclesia, in quo debeat recipi; ergo non est aliquod preceptum obligans ad receptionem illius.

Sup. hoc vide precedentem Ref. & alias Ref. & §§. ejus nor. & si gnanter lege infra. §. ult. Ref. 24.

RESOL. XIX.

An in aliquo casu in articulo mortis teneatur quis sumere Sacramentum Confirmationis? Et an sit peccatum saltem veniale omittere hoc Sacramentum? Ex p. 5. tr. 3. Ref. 32.

§. 1. Hanc quaestionem non ita facile apud multos invenies, & ad illam affirmativè respondet Ochagavia de Sacrament. Confirmat. quest. 12. num. 4. ubi sic ait: Absolutè, & simpliciter loquendo, neque erit peccatum mortale, neque veniale, omittere hoc sacramentum, quia nullum extat preceptum de illo recipiendo: per accidens tamen poterit esse peccatum veniale, omittere Confirmationem, si censeatur esse aliqua prodigalitas in ea omittenda, vel nonnulla temeritas in aggrediendo sine illa, pericula mortis, imò erit peccatum mortale, si relinquatur Confirmatio per contemptum, aut si quis eam relinquere in articulo mortis, quando haberet conscientiam peccati mortalis, & non posset recipere aliud sacramentum, quia tunc cum sola attritione existimata contritio posset salvari per hoc sacramentum, quia maxima temeritas videtur remedium ita facile relinquere, & expectare contritionem, quae valde difficilis est. Ita Ochagavia.

Sup. hoc doctrina supra in Ref. 17. & in aliis ejus not.

Sup. hoc ibidem §. Sed difficultas. & infra in fine, Ref. 24. §. ult.

RESOL. XX.

An liceat ministrare hoc Sacramentum Confirmationis personaliter interdico, qui causam dederit? Et an hoc idem dicendum sit de Sacramento Baptismi? Et an, qui sic ministraret utrumque horum Sacramentorum, non peccaret per violationem interdicti, sed quia ministraret in peccato mortali,

& proinde non faceret duo peccata; primum, quia ministraret in peccato, secundum, quia violaret interdictum? Ex part. 5. tractatu decimo, Resolut. 63.

§. 1. POnam hic id, quod sentit circa praesentem quaestionem Faber de cens. in 4. sent. dist. 15. quest. 1. dist. 5. cap. 2. num. 17. ubi sic ait. Quod dictum est de sacramento Baptismi, dicendum est quoque de sacramento Confirmationis. Ratio est, quia, cap. quoniam, de sent. excomm. in 6. equiparantur Baptismus, Confirmatio, quoad eorum ministerium in interdicto; dicitur enim ibi: quoniam cum Baptismo, & Confirmatione, quae nedum parvulis, sed adultis propter periculum exhiberi possunt licite tempore interdicti, &c. In quocumque ergo interdicto tam locali, quam personali licitum est ministrare haec duo sacramenta, & cum non distinguatur de interdicto personali, & gratiae sint ampliandae, & poenae restringendae, mihi videtur quod etiam personaliter interdictus, qui causam dedit interdicto, possit utrumque sacramentum dare propter mortis periculum. Velle autem excipere interdictum personale, videtur fieri sine ratione. Quod autem ait Suarez, quia, in cap. Alma interdictus personaliter ob causam datam interdicto eximi à concessione ministrationsis sacramenti Poenitentiae, & consequenter à ministrationse sacramenti Baptismi, & Confirmationis, quia haec sine previo sacramento Poenitentiae ministrare licite non possunt, hoc est accidentarium, & oritur ex alia radice, scilicet; quia non licet ministrare sacramentum in peccato mortali, non autem quia hoc sit prohibitum vi interdicti. Item qui sic ministraret utrumque horum sacramentorum non peccaret per violationem interdicti, sed quia ministraret in peccato mortali, & proinde non faceret duo peccata. Secundum Suarez autem faceret duo peccata. Primum, quia ministraret in peccato mortali. Secundò, quia violaret interdictum, idè illa opinio Suarez mihi non probatur. Ita Phil. Faber, an probabiliter, judicent alij.

Sup. contesto in hac Resol. usque ad eas verbi. Item. & in tom. 3. tr. 11. Resol. 2. à lin. 6.

RESOL. XXI.

Notabilia quadam circa Patrimum in Sacramento Confirmationis. Et inter alia tandem quaritur, an Religiosi Mendicantes possint esse Patrini in hoc Sacramento? Et quid de Episcopis Religiosis? Ex part. 3. tr. 4. Resolut. 21.

§. 1. PRIMò nota, dictum Patrimum non contrahere obligationem instruendi confirmatum, quia id jure statutum non reperitur, sicuti de patrino Baptismi. Ita Coninch. de Sacrament. q. 72. art. 10. Layman in Theol. mor. lib. 5. tr. 3. c. 6. n. 1. qui citat Henriquez, quidquid dicat Sylvius in 3. p. q. 72. art. 10.

2. Secundò est valde probabile, quòd si non confirmatus teneat alterum in hoc sacramento, non contrahat cognationem spirituales, quia ille non est legitimus susceptor, ut patet in cap. in Baptismo, de consecratione, dist. 4. sed in Baptismo illegitimus susceptor nullam contrahit cognationem spirituales, ut patet. Ergo idem est dicendum in sacramento Confirmationis. Ita Coninch. de Sacrament. q. 72. art. 10. num. 94. qui citat Suarez, Nugnus in 3. p. q. 72. art. 10. qui citat Victoriam, quidquid

Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis ejus primae not. Sup. hoc in Ref. seq. §. 1. ante mecum verbi. In Baptismo, & in aliis ejus annot.

RESOL. XXIII.

An omnes Religiosi tam Mendicantes quam non Mendicantes, & Sanctimoniales etiam licite possent obire munus Patrum in Baptismo, & Confirmatione?

Et quid de Canonicis Regularibus? Et notatur, quod si Abbas, & Monachi in Baptismo, & Confirmatione aliquem suscipere, licet peccarent mortaliter, spirituales tamen cognationem contraherent.

Nulla tamen est difficultas Episcopos, & Cardinales Religiosos posse munus Patrum in Baptismo, & Confirmatione exercere. Ex part. 9. tract. 6. & Misc. 2. Ref. 31. aliis 32.

§. 1. Negativa sententia extat in cap. Licet dist. 1. cap. Monachi de consecr. dist. 4. cap. Pervenit. el. 181. q. 2.

Sed difficultas est, an sub nomine Monachorum omnes Religiosi, tam Mendicantes, quam Canonici regulares veniant; & licet affirmativè respondeat VViggers in 3. part. q. 67. art. 8. num. 20. qui citat Tannerum, quibus adde Layman lib. 5. tr. 2. c. 9. n. 3. tamen, ut alibi adnotavi, negativæ sententiæ adherent Hurtadus, & Coninch, quem novissimè sequitur Castrus Palaus tom. 4. tract. 1. q. 9. disp. unica, p. 11. §. 1. n. 4. & novissimè Leander de Sacram. tom. 1. tract. 2. disp. 1. q. 16. qui citat nostrum Molfesum, quibus etiam adde, me citato, Joannem Henrici in 99. pract. sect. 1. q. 7. Quia, esto, eadem ratio prohibitionis procedat in Religiosis Mendicantibus, & Canonicis Regularibus, ac in Monachis; inde solùm inferitur, posse prohibitionem ad omnes extendi, non tamen de facto extensam esse. Non enim sub nomine Monachorum veniunt Mendicantes, & Canonici regulares in decreto prohibitivo, odioso, & correctorio. Neque item eadem ratio adæquatè in Mendicantibus, Canonicisque regularibus, ac in Monachis procedit: nam Monachis magis indecens est familiaritatem habere cum parentibus baptizati, eò quòd sibi soli vivant, à secularium conversatione, & communicatione separari. At Mendicantes, Canonicique regulares passim cum secularibus communicant; ob quam causam Monachi facti Episcopi, tamen non desinant esse Religiosi, à munere susceptoris non excluduntur; quia in eo statu constituti non sibi tantùm vivunt, sed aliis, ideòque non dedecet paternitatem, tum baptizando, tum levando contrahere. Et hanc sententiam tenet etiam Joannes Præpositus in 3. p. q. 67. art. 6. dub. 2. n. 13. Lessius etiam in 3. part. q. 67. art. 6. dub. 2. n. 12. Chametota de Sacram. tract. 2. c. 4. dub. 8. Vide Averfam de Sacram. Baptismi, q. 69. sect. 3.

Verùm sententiam affirmativam tenet, præter Doctores citatos, Serra in 3. part. D. Thome. q. 67. art. 7. ubi si ait: [An verò contrahat Monachus cognationem spiritualem, non conveniunt omnes. Quidam negant: quia non est legitimus susceptor, sicut necnon baptizatus. Affirmant alij: quia verus susceptor est: nam, quamvis factum prohibeatur, non tamen irritatur. Monachorum autem nomine quidam dicunt non comprehendendi Religiosos Mendicantes, qui etiam aliis erudiendis vacant. Sed puto nec his etiam permitti susceptores esse, nisi fortè in secularium defectum, & de licentia suorum Prælatorum.] Ita ille. At ego utramque sententiam probabilem esse puto.

§. Sed

Alibi supra in Resol. prima post præsentiam, §. Quarto.

RESOL. XXII.

An non confirmatus suscipiens, in Confirmatione puerum contrahat cum illo, ejusque parentibus cognationem spiritualem?

Et quid de non baptizato in Sacramento Baptismi? Ex part. 3. tract. 4. Ref. 26.

§. 1. Affirmativam sententiam docent noster Molfesius in son. tom. 1. tract. 5. c. 2. n. 43. Sylvius in 3. p. q. 72. art. 10. cum Paludano, Rosella, Tabiena, Soto, Sà, Rodriguez, Lopez, Salliego, & aliis apud Sanchez ubi infra.

Sed ego alibi meritò negativam sententiam docui, & præter DD. quos citat, & sequitur Sanchi de mar. tom. 2. lib. 7. disp. 60. n. 19. tenet etiam hanc opinionem Reginaldus in praxi, tom. 2. lib. 3. c. 20. n. 157. Fernandez in exam. Theol. moral. part. 3. cap. 2. §. 9. n. 4. & §. 10. n. 4. Ugolinus de potest. Episc. c. 25. §. 1. n. 2. Rebellius de oblig. part. 2. lib. 3. q. 6. n. 6. & Basilius Pontius de impedim. matrim. cap. 24. §. 1. ver. Illud, & alij, ex cap. in baptizate, de consecr. dist. 4. ubi sic habetur: * In baptizate, vel in chrismate non potest alium suscipere in filium ipse, qui non est baptizatus, vel confirmatus. Et ideò hanc sententiam præter citatos Doctores tenet etiam Coninch. de Sacr. q. 72. art. 10. n. 94 ubi sic ait: Non confirmatum non posse tenere confirmandum, habetur in c. in baptizate; unde patet eum invalidè hoc facturum, qui id tentaret, quia secundum communem sententiam Juristarum, invalidè quis id tentat facere, quod dicitur in jure non posse facere & confirmatur, quia similiter talis dicitur non posse tenere confirmandum, atque non baptizatus baptizandum, at hic hoc invalidè faceret: ergo & ille. * Unde sequitur, eum graviter peccaturum, quia redderet eam caeremoniam irritam, nec contraheretur cognationem spiritualem. Ita Coninch. Non sunt igitur audiendi Molfesius, & alij.

3. Sed omnibus supradictis plus addit (attende, Lector,) novissimè Quintanadueñas in *Theol. mor. tom. 1. tract. 1. sing. ult. per totum*, ubi probat, omnes Religiosos, tam Mendicantes, quam non Mendicantes, & Sanctimoniales etiam, posse esse Patrinos in Baptismo, absque licentia, & peccato. Quia, si ob aliquam causam Religiosus non liceret hoc munus, esset propter relatas prohibitiones: sed hæc non obstant; ergo, &c. Major est certa, cum nullam malitiam, nec indecentiam intrinsecam afferat hic actus. Minor probatur: quia prohibitio in cap. *Non licet*: sicut & alie juri insertæ, eam auctoritatem, aut vim præceptivam solum habent in decreto Canonico, non extra illud, ut de omnibus sapienter probat Joan. Ant. Ecclesiæ Mediolanensis Præpositus *Proem. decr. f. 1. pag. 1.* Cum igitur hæc habeatur ex Concilio Altihsiodorensi, celebrato anno 614, quod est Provinciale, nec à Papa approbatum, non potest omnes obligare. Et licet Generalis Concilij esset, culpam gravem non induceret, ex verbo, *Non licet*: cum sapius cum illo sine ea prohibitiones similes inveniamus. Sic in eodem Concilio *ann. 15.* non licet mortuum super mortuum mittere; & *ann. 18.* non licet Presbytero, Diacono, vel Subdiacono in Ecclesia, dum Missa dicuntur, stare.

4. Præterquam quòd, licet ex utroque capite graviter hæc prohibitio olim obligaret: modò autem non ita. Quia, cum causa illius esset, ut verbis Emanuelis Roderici, *tom. 1. q. 13. artic. 1.* utar, quam tangit quidem Glossa d. cap. *Monachi, verb. Osculentur*, scilicet, ne osculentur feminas: in quibus tangitur, ut inquit Glossa, consuetudo aliquorum locorum, in quibus Compatres osculabantur Commatres. Propter quam consuetudinem decreverunt Concilium, & Pontifices, ne Monachi Compatres fierent. Cum ergo jam hæc consuetudo cessaverit, ob quam hæc lex prohibitiva emerfit; lex etiam cessabit: nam legis ratione cessante, cessat quoque ejus dispositio, ut ex l. *In omni. ff. de adop. l. Quod dictum, ff. de pactis.*

5. Alias etiam rationes adducit Quintanadueñas, & tandem sic concludit: [Igitur, cum ex dictis, vel nullam, vel levissimam culpam committant Religiosi, etiam ex Ordine Monachali, de sacro Fonte infantem suscipientes, etiam sine causa; si hæc adsit, à veniali etiam culpa liberantur; sicut qui ex causa Officij divini tempus, & horas anteponeret, vel postponeret: vel orationes ante Sacrificium, vel post illud, juxta Missalis Rubricas dicendas, omitteret, nullum committeret peccatum; licet sine illa veniale foret. Causa autem sufficiens esset petitio, aut devotio parentum baptizandi, ob virtutem, ac egregiam Religiosi famam, patrie usus, sumptuum excusatio, aliunde non ita comòdè invenire Patrinum prole dignum, aut ad id munus nolle alium infantis baptizandi parentes adstringere, vel quid simile rationi consonum, quamvis grave non videatur. Facultas Ordinarij, licet necessaria non sit, nec Prælati regularis, nisi in Religione prohibitio vigeat; exposci tamen consulam, ne Parocho aliquod nocumentum emergat, cui in Rituali, ac sæpè ex suæ Diocesis Synodo indicitur, ne Religiosos ad hoc munus admittat; hancque liberaliter absque ullo scrupulo, etiam levissima ex causa, Ordinarij, ac Prælati concedere possunt.] Ita ille, cui tamen non adhaeret Lezana in *qq. Regul. tom. 1. c. 9. num. 31.* & Deander à Murcia in *qq. Regul. in c. 4. ad c. 11. Regule D. Francisci*, & alij communiter.

6. Nulla tamen est difficultas, Episcopos, & Car-

dinales regulares, posse munus Patrini in Baptismo exercere. Ita, me citato, & alii docet Lezana in *qq. Regul. tom. 3. verb. Baptismus, num. 1.* & Leander ubi supra.

7. Nota verò, quòd Doctores, qui sententiam Quintanadueñas impugnant, fatentur tamen, quòd si Abbates, & Monachi in Baptismo, aut Confirmatione aliquem susciperent, licet peccarent mortaliter; spiritualem tamen cognationem contraherent: quia citata jura non statuunt factum contrarium irritum esse. Ita Tamburinus de *jure Abbatum, tom. 2. disp. 4. q. 2. n. 2.* Sanchez de *matrim. lib. 7. disp. 70. n. 21.* Reginaldus *lib. 3. num. 137.* & alij penes ipsos.

RESOL. XXIV.

An in Confirmatione unus solus possit adhiberi Patrinus?

Et an si plures de facto teneant Confirmationem, omnes contrahant cognationem, quamvis non plures, quam unus vir, aut femina accedere debeat?

Et notatur, quod Pontificale Romanum vult, quod masculi feminis Patrini esse non possint, & è contra.

Et quaritur, an sit præceptum sumendi Sacramentum Confirmationis?

Et an nec venialiter peccet, qui, secluso scandalo, & contemptu, hoc Sacramentum omiseret? Ex part. 10. tract. 16. & Misc. 6. Refol. 90.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Galpar Hurtadus de *Sacr. matrim. disp. 18. diff. 4. n. 13.* ubi sic asserit: Quamvis jure antiquo, *can. plures, de consecr. disp. 4. & cap. fin. de cognatione spirituali, in 6.* prohibitum fuerit, plures Patrinos in Baptismo, & Confirmatione adhiberi, & fuerit decretum, quod si, ea prohibitione non obstante, plures essent Patrini, omnes dictam cognationem spiritualem contraherent. Jam tamen jure novo Tridentini *sess. 24. c. 2.* permittitur, quòd in Baptismo possint duo, unus, & una tenere, aut suscipere in Baptismo; ubi additur eos designandos esse ab eis, ad quos designatio spectet, & quod ab aliis ultra designatur, quamvis efficiant actus Patrini, non contrahatur cognatio spiritualis. Quod verò docet Sancius *lib. 7. disp. 56. n. 9.* nempe id quod addidit Tridentinum, & restrinxit circa Patrinos in Baptismo, etiam extendi ad Patrinos in Confirmatione, absque fundamento dicitur; ac proinde jus antiquum quoad Patrinos in Confirmatione in suo robore manet. Huc usque Hurtadus.

2. Sed sententiam Sanchez tuetur P. Martinus Perez de *matrim. disp. 29. sect. 5. n. 21.* ubi docet; in Sacramento Confirmationis posse adhiberi duos Patrinos diversi sexus, & nullum alium suscipientem, vel tangentem, præter Patrinos designatos, spiritualem cognitionem contrahere. Quia fuit manifesta mens Tridentini eodem modo utramque cognationem restringere, ut constat ex præmio dicti capituli secundi, ubi declarat, velle se impedimentum cognationis restringere. Constat etiam ex fine, ubi cognationem ortam ex Confirmatione ad easdem personas restringit, ad quas restrinxerat cognationem ortam ex Baptismo. Quod sanè non fieret, si omnes confirmatum tangentes contraherent, cum non omnes tangentes baptizatum, sed solum designati contrahant. Sed licet hæc opinio sit probabilis, ut notat Franciscus Lugo de *Sacram. lib. 3. cap. 5.*

cap. 5. q. 3. n. 12. & illam præter Sanchez, & Perez teneat Vallenis in decret. lib. 1. tit. 1. §. 2. n. 7. Reg. in tom. 2. lib. 3. num. 152. Toletus lib. 2. c. 24. n. 6. Navarrus in Man. c. 22. n. 40. Ego tamen non recedo à sententia negativa Hurtadi, quam teneat Baunius in Theol. mor. tom. 1. tract. 3. q. 9. Præpositus in 3. p. q. 72. art. 10. n. 40. Leandrus de Sacram. tom. 1. tr. 3. disp. 5. q. 2. Aversa in 3. p. q. 72. sect. 5. Rebellius p. 2. lib. 3. q. 6. n. 6. Barbola de Poteft. Parochi. part. 2. alleg. 30. n. 43. Castrus Palaus tom. 4. tract. 20. disp. 1. punct. 10. n. 2. Bassæus in Flor. Theol. ver. Confirmatio. n. 11. & alij.

3. Dico itaque Patrinum Confirmationis, unicum futurum esse, virum, aut feminam, ut habeat. cap. non plures. de consec. dist. 5. dum in confirmatione posuit tenentem in singulari dumtaxat, cum de Patrinis Baptismi locutum fuerit in plurali. Quare decretum Tridentini quatenus concedit duos Patrinos in Baptismo, non videtur extendi ad Confirmationem, cujus quoad hoc mentionem non facit; nec juris correctio sine gravi fundamento debet admitti. Non ergo derogat Tridentinum illi capiti, non plures. Et ideo si plures de facto teneant Confirmatum, omnes contrahere cognationem. Cum enim ex hoc Patrini munere nascatur spiritualis cognatio. cap. si quis filiastrum, cap. de his 30. quest. 1. cap. 1. de cognatione spirituali, in 6. subdit textus in cap. fin. eod. tit. Quamvis non plures, quam unus vir, aut una mulier accedere debent ad suscipiendum de Baptismo, vel Confirmatione; si tamen plures accesserint, spirituales cognationem omnes inde contrahere. Nota etiam, quod Pontificale Romanum vult, ut in Confirmatione, masculi femine Patrini esse non possint, neque femina masculis, & quod unus non possit esse Patrinus plurimum.

4. Nota tamen hic obiter novissimè doctum Pa-

trem Martinon de Sacram. tom. 4. disput. 27. sect. 5. num. 39. docere, adesse præceptum sub mortali sumendi Sacramentum Confirmationis; sed ego non recedo à sententia, quam docui, tale præceptum non esse datum, & ideo, seculo scandalo, & contemptu, non peccare mortaliter, qui hoc Sacramentum omitteret. Et ita me citato, tenet Leandrus de Sacrament. tom. 2. tract. 3. disput. 1. q. 6. & me citato Stephanus à San Gregorio de Sacram. lib. 3. c. 18. n. 4 & me citato Machadus tom. 1. lib. 3. cap. 1. tract. 3. docum. 5. num. 4. & me citato Bassæus ver. Confirmatio, n. 3. & me citato Trullench de Sacram. lib. 2. cap. unio. de Confirmatione, num. 1. & me citato P. Lugo de Sacram. lib. 3. c. 2. q. 1. n. 5. & 8. & me citato Dieastillus de Sacram. tom. 1. tract. 5. disput. unica, dub. 10. n. 99. Idem etiam docet Estius tom. 2. 4. sentent. dist. 7. §. 18. Martinus de San Joseph. in Mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 1. de Confirmatione, n. 4. Caspensis in Cur. Theol. tom. 2. tract. 23. disp. 2. sect. 2. n. 13. Gefualdus in Theol. Mor. tom. 1. tract. 5. c. 3. n. 7. & doctus, ac amicissimus P. Antonius Escobar, & Mendoza in Theol. Mor. tract. 7. exam. 3. c. 3. n. 18. Imò plus addunt aliqui per se loquendo, nec veniale peccatum esse confirmationem ommittere; quia cum nullum sit præceptum, nulla committitur omissionis culpa per se; sic asserit Petrus de Ledesma tom. 1. tr. de Confirm. c. 8. concl. 3. Sed hæc opinio mihi non placet; quia vix continget, omitti Confirmationem sine veniali culpa, quando commode recipi potest. Quippe talis omisso sine causa privat nos magnis bonis spiritualibus, ac subinde continet prodigaliter quandam spirituales, quæ culpabilis sit. Ita Lessius in 3. p. D. Thom. q. 72. art. 8. dub. 2. n. 31. ubi sic ait: Vix unquam potest hoc Sacramentum omitti sine aliquo peccato, quia vix potest adesse iusta causa tanti boni negligendi, quod tam facile potest haberi. Ita ille, & ego.

Sup. hoc sub-
pra in Ref.
6. §. ultim.
& in Ref. 17.
per totam,
& in Ref. 18.
& ult. & in
Ref. 19. ad
l. 4. & in
om. 3. tr. 1.
x. Ref. 9. §.
Prima sen-
tentia, sed
l. 5. cam à
punctio, &
in co. 2. tr. 4.
Ref. 24. à
lin. 4.

In indice primo hujus Tom. I. Vide Apendicem ad hunc Tract. II. Ubi reperies alias multas
questiones mistas, & dispersas per alios Tom. Tract. & Ref. qua simul
pertinent ad hunc Tract. II. de Sacram. Confirmationis.



TRACTATUS